Jusci

DE

IVSTO IMPERIO LVSITANORVM ASIATICO.

Auctore Doctore Fr. Seraphino de Freitas *Lusitano in Pinciana Academia Vespertinæ in sacris Canonibus Cathedra antecessore è Mercenarijs minimo.*

Ad Philippum IIII. potentissimum Hispaniarum, & Indiarum Monarcham.

Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi;
Fiat & ex edera ciuica nostra tibi.



Cum Priuilegijs Castellæ, & Lusitaniæ.

Vallisoleti: Ex Officina Hieronymi Morillo, Almæ Vniuersitatis Typographi. Anno M. DC. XXV.

EL REY.

POr quãto por parte de vos el Doct. Fr. Serafin de Freytas Cathedratico de Visperas de Canones de la vniuersidad de Valladolid, de la Orden de nuestra Señora de la Merced redempcion de cautiuos, nos fue fecha relacion, auiades compuesto vn libro intitulado, de iusto Imperio Lusitanorum Asiatico, el qual era muy, y prouechoso, y nos pedistes, y suplicastes, os mandassemos dar licencia, y facultad para imprimirlo por el tiempo que fuessemos seruido, ò como la nuestra merced fuesse: lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias que la pragmatica por nos vltimamente fecha sobre la impression de los libros dispone: fue acordado, que deuiamos de mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimoslo por bien. Por la qual os damos licencia, y facultad, para que por tiempo, y espacio de diez años primeros siguientes, que corrã y se quenten desde el dia de la fecha della en adelante, vos, ò la persona q̃ vuestro poder huuiere, y no otro alguno podays imprimir, y vender el dicho libro, intitulado de iusto Imperio Lusitanorum Asiatico, de que de suso va fecha mencion por su original, que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado, y firmado al fin de Pedro Montemayor del Marmol, escriuano de Camara de los que en el nuestro Consejo residen, con que antes q̃ se venda lo traigays ante ellos, juntamente con el dicho original, para que se vea si la dicha impression està conforme a el, ò traigays fee en publica forma, como por corrector por nos nombrado se vio, y corregio la dicha impression por el dicho original, y se citasse el precio por que se ha de vender y mandamos al impressor, que ansi imprimiere lo susodicho, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas de vn solo libro con su original al autor, ò persona, a cuya costa lo imprimiere para efeto de la dicha correccion, y tassa, hasta que antes, y primero el dicho libro intitulado, de iusto Imperio Lusitanorum Asiatico, estè corregido, y tassado por los del nuestro Consejo, y estando hecho, y no de otra manera, podays imprimir-

¶ 2 pri-

primir el dicho principio, y primer priuilegio, y seguidamente ponga esta nuestra cedula, y la aprouacion que de lo susodicho se hizo por nuestro mã dado, y la tassa, y erratas, sopena de caer, è incurrir en las penas contenidas en las leyes, y pragmaticas de nuestros Reynos, que sobre ello disponen Y mandamos, que durante el tiempo de los dichos diez años persona alguna sin la dicha vuestra licencia, no pueda imprimir, ni vender el dicho libro, so pena, que el que lo imprimiere, aya perdido, y pierda todos, y qualesquier libros, moldes, y aparejos que dello tuuiere, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis, la qual dicha pena, sea la tercia parte para la nuestra Camara, y la otra tercia parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare, y mandamos à los del nuestro Consejo, Presidentes, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra casa, y Corte, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Assistentes, Gouernadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y otros juezes, y justicias qualesquier de todas las Ciudades, villas, y lugares de los nuestros Reynos, y señorios, y à cada vno dellos en su jurisdicion, que os guarden, y cumplan esta nuestra cedula, y contra ella no vayan, ni passen, ni consientan yr, ni passar en manera alguna, sopena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra Camara. Dada en san Lorenço a veynte y ocho dias del mes de Otubre de mil seyscientos y veynte y quatro años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.
Don Sebastian de Contreras.

LE

LIBRVM de Asiatico Lusitanorum Imperio, à Patre Seraphino de Freitas Lusitano, sacri ordinis Mercenariorũ in celeberrima Vallesoletana Academia, in sacris Canonibus Doctore, vespertinæque Cathedræ peritissimo moderatore, mira eruditione compositum, de mãdato Regij Senatus, qua potui diligentia legi, maximaque delectatione relegi; nihilque in eo non laudabile, nihilque non laude dignum reperi, siuè enim singularẽ vtriusque iuris peritiam, siuè cãdidam sermonis puritatem, siuè in expugnandis aduersariorum fundamentis solers artificium, siuè historiarum cognitionẽ, siuè Cosmographiæ, ac Geographiæ notitiã spectemus. Libenter fatebimur, eum non vt hospitem, sed vt ciuem, in omnibus his professionibus se ostẽdisse. Opus planè dignum, quod ad totius orbis vtilitatem, acuratissimis excudatur caracteribus. Matriti calendis Octobris. Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quarto.

Licenc. Petrus Fernandez Nauarrete.

¶ 3 TAS-

TASSA.

POr los señores del Consejo Real fue tassado este libro intitulado, *De iusto Imperio Lusitanorum Asiatico*, cõpuesto por el Doctor Fray Serafin de Freytas, a quatro marauedis el pliego, en doze dias del mes de Iulio, de 1625.

Francisco de Arrieta.

ERRATAS.

FOl. 2. col, 2. lin. 7. auspicijs, fol. 26. col. 2. col. 14. nænijs, fol. 30. col. 1. lin. 3. non scripta, fol. 51. col. 2. lin. 15. ab infidelium, fol. 81. col. 2. lin, 6. nostrorum hostium, fol. 90. col. 2. lin. 3. conquisitionis, fol. 117. col. 1. lin. 6. vnde, fol. 161. col. 1. lin. 13. 90. fol. 170. col. 2. lin. 4. facta, fol. 172, col. 2. lin. 3. fidem, fol. 174. col. 2. lin. 11: corrogatis, fol. 175. col. 2. lin. 4. trapezitas, fol. 176 col. 1. lin. 12. Emmanuele Lusitaniæ Rege, fol: 189. col. 2. lin. 17. splendore.

Con estas emiendas concuerda con su original. En Valladolid en S. Pablo à 22. de Iunio, de 625.

El Maestro Fr. Rafael Sanchez.

AD

AD PHILIPPVM IIII. HISPANIARVM, ET INDIARVM MONARCHAM.

DVLCE (gloriosissime Principum) & decorum est Freitas nostris pro patria mori, A; *in cuius obsequium tres fratres velut hæreditario munere functi sunt. Horum exempla ne sequerer, Monachismi edicto sum prohibitus; sed insperata occasio defendendæ patriæ, absque regularis obseruantiæ offensa, sese mihi obtulit; vt ijdem fratres patriam non solum armis, & sanguine, sed & calamo, & iure propugnent, cum vtrisque Imperatoria Maiestas condecoretur, & firmetur.* B, *descendit in arenam Batauus tuum nauigationis, Indicique Imperij ius in dubium vocare tentans. Certaminis campus Oceanus est; iudices vero supremi orbis Christiani Principes; arma inæqualia. Ille enim à capitis vertice vsque ad pedis plantam ferro, & Chalybe tectus iactabunde progreditur: Ego vero sub tuo nomine personam aliam, iustitiæ causa*

A Hor. li. 3. carm. od. 2.

B Procem. instit.

ſa fretus, haud induam; conſpiret Africa, & Aſia turritis armata elephantibus; hoſtilibus ſternantur æquora claſſibus; Turcæ, Mauri, & Ethnici fœdus ineant; Eccleſiæ errones inſultent; allatrent rebelles; & omnes Hiſpanicum Imperium multipliciter infeſtent; at vno Hiſpanici leonis intuitu omnia hæc monſtra euaneſcent, & velut minores aues aduentante Aquila obſtrepere non audebunt; tot agmina, tot hoſtes, tot conſpirationes tuo Imperio, tuæ felicitati, tuis denique triumphis reſeruabantur; quidquid aduerſi cadat, tuis laudibus, tuiſque virtutibus materiam, campumque proſterni manifeſtum eſt.

Vtque tuus gaudet miles, cum vicerit hoſtem,
Sic cur ſe victum gaudeat, hoſtis habet. C

Vnicum fidei ſcutum tibi aſſume; in quo poſsis omnium hoſtium tela retorquere. D. *Defende more tuo, parentumque tuorum contra hæreticos inconcuſſum Eccleſiæ ſtatum, vt tuum Chriſti dextera defendatur Imperium, vt ad Theodoſium Auguſtum Leo Papa promittit:* E *Nihil enim eſt, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe, nihil eſt quod ita nequeat occaſui ſubiacere, quam vera religio* F. *qua Imperium tuum protegente.*

Viue Philippe diu felix, pete ſidera ſero,
Hoc opus eſt terris, te quoque velle decet,
Et tibi ſuccreſcant Iuuenes bis Cæſare digni,
Hique tuum trudant vſque Philippe genus. G.

c Ouid. 2. de triſtibus ad Aug.
d Pau ad Eph. 6.
e Epiſt. 25. ad Theod.
f L. inter claras C. de ſacr.
g Vir. ad Aug. in morte Mecœnatis.

D. Fr. Seraphinus
de Freytas.

AD

AD PRINCIPES ORBIS CHRISTIANI SVPREMOS.

PErsonatus quidam ante vestrum (Clarissimi Principes) tribunal ius Indicæ nauigationis armis, sanguine, Pontificijs titulis, dicam & diuinis oraculis, à Lusitaniæ Regibus quæsitum in iudicium vocat sub Batauorum nomine; postquam in armis parum felicitatis contra Lusitanos sunt experti, præter alia testes orbi Mombaca, Malaca, Moluca, & Brasilia. Sed in iudicijs illud primum obtinet locum, vt actor personam legitimet, ne iudicium illusorium reddatur; hanc personatus ille nusquam legitimabit; tum quia non ex Batauorum arbitrio modo ad Martis certamen, modo ad Astreæ forum legitimus & naturalis Princeps prouocandus erit; tum etiam quia Imperator Principes ve supremi (vestra, ô Iudices, res agitur) a subditis suis causam dicere cogi haud debent. Per me Reges

regnant) *ait diuina Sapientia Prou.* 8.) & legum condi-tores iusta decernunt, *Batavi è contra Principi leges dare, non ab illo accipere intendunt: sed ad rem; affirmat Incognitus longè clarissimum esse alios ante Lusitanos ab Europa per promontorium bonæ spei in Indiam nauigasse: cum tamē tanta contrariæ opinionis in animis hominum infixa vis fuerit, vt Antæcos, & Antipodes statuere hæresis esse putaretur omnium hæreseon maxime detestanda: nam circa annum Christi septingentesimum quadragesimum quintum (vt Auētinus in annalibus Boiorum, & Rosinus de antiquitatibus Rom. oratio. 2. pro antiquitate, pag. 596. memoriæ prodiderūt) Virgilius Episcopus Salæburgensis pro concione dixerat Antipodes esse. Bonifacius Episcopus Maguntinus Virgilium impietatis accusauit, hæreticumque esse publicè proclamauit, quod Antipodibus inductis alius etiam Christus induceretur. litteris à Pontifice Zacharia (cuius legatus Bonifacius erat) ad Vtilonem Boiorum Regem tanquam ingentis litis arbitrum, & sequestrem impetratis, eius sententia victus, & vt in causa inferior condemnatus Virgilius palinodiam decātauit, sed de hac quæst. c. 4. & 5. disseremus; nunc vero cū Batavi Monarchicum regimen suspectum habeant, non simpliciter vos (Principes Serenissimi) in arbitros eligunt, nec vt secundum diuinū, commune, & Hispanicum ius, quod verborum fuco in præfatione implorant, sed iuxta lesbiam regulam, quam Incognitus domi habet, causam decidendam quærunt; & ne in exemplorum relatione immoretur; vnū, vel al-*

alterum ob oculos subijciam. Ex Vlpian. l. iniuriarum. § si quis me de iniurijs, tradit Incognitus iniuriarum agi posse, si quis in mari, aut ante ædes meas piscari prohibeatur; tacet tamen contrariam regulam, quam Vlpianus ibidem in conductore publico constituit: docuit Paul. l. sane de iniurijs, interdictum, vti possidetis, proprium maris ius habenti competere expuncta maris, *particula, reponit verbum,* diuerticulo; *solùm Doctores, qui, vt ipse interpretatur, aliquo modo sibi patrocinãtur, admittit, alios vt adulatores recusat: his & similibus conditionibus confidenter ad iudicium prouocat, & merito: quis enim vincere valebit, qui nullo iure, nulla autoritate superandus est; nihil enim Lusitanis optabilius contingere poterat, quam à Batauis in litem vocari, vt omnibus innotesceret, quo iure, quaue iniuria nostram antiquam, & tot titulis munitam Oceani nauigationem ad Indos intertur bent. Stent igitur Bataui pacto, & sententia secũdum allegata, & probata proferatur: viuite feliciter inclyti principes, locumque Dei, qui vobis cælitus est concessus, tuemini, vestroque honori, & maiestati prospicite.*

Doct. Fr. Seraphinus
de Freitas.

Eu el

EV el Rey faço saber aos que este Aluarà virem, que hauendo respecto, ao que por sua peticaõme inuou a dizer ò Doctor Frey Seraphim de Freytas, Religioso da Orden de nossa Señora da Merce, lente de Vespora de Canones na Vniuersidade de Valladolid. Hey por bem, è me praz, que por tempo de dez anos que se començaraõ a contar da data deste en diante, nenhũ Impressor, nem liureiro, nẽ outra alguà pessoa, de qualquer qualidade, estado, è cõdicaõ que seja, possa por si, nẽ por interposta pessoa, imprimir, nẽ mãdar imprimir no Reyno de Portugal, nem leuar de fora impresso o libro que compos, intitulado, *De iusto Imperio Lusitanorum Asiatico*, saluo os que para isso tiuerẽ licença do dito Frey Seraphim, sobpena, q̃ quẽ o cõtrario fizer, pagara por cada ves, que nisso for cõprehendido, trinta cruzados à metade para captiuos, e a outra ametade para quẽ o acusar; è alẽ disso, perdera para o dito Frey Seraphim, todos os volumes, moldes, q̃ da impressaõ do dito libro lhe forem achados: pello que mando as justicas, a que o conhecimento deste pertencer, que durante ò dito tempo o cumpraõ, è guardem, è fazaõ inteira mente cũprir, è guardar, como nelle se contem sem duuida, nem contradiçaõ alguã, posto que seu effecto haia de durar maes de hum ano, sem embargo da Ordenaçaõ em contrario. Frãcisco Pereira de Betancor o fez em Madrid a cinco dias do mes de Iunho, de mil seiscentos è vinte cinco anos.

R E Y:

Mendo da Motta. *Dom Antonio Pereira.*

De

DE mandato supremi Lusitaniæ Cõsilij perlegi tractatum hunc de iusto Imperio Lusitanorum Asiatico, autore sapientissimo Doctore Fr. Serafino de Freytas, in quo nihil reperi Ortodoxæ fidei, vel Christianis moribus aduersum; quin & sacrorum Canonum Iurisconsultorum, ac Cæsarum doctrina, & grauium scriptorum recondita eruditione, ac per grandi rationum pondere, sic autor institutum conficit, vt nihil ad rem illustrius, aut efficacius desiderari posit. Quàpropter opus dignissimũ censeo, quod ad nostrorum iustitiam commendandam, aduersariorum temeritatem reprimẽdam, in posterorum memoriam typis non vulgaribus commendetur. Matriti in Collegio Societatis Iesu 6. Kalendis Octobris, anno 1623.

Doctor Sebastianus de Couto.

Fa-

Facultas Generalis Ordinis.

FRater Gaſpar Prieto, Magiſter in ſacra Theologia gratia Dei & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ humilis magiſter generalis totius Ordinis Dominæ noſtræ de Mercede redemptionis captiuorum, &c. inſpecta approbatione magiſtri Fr. Balthaſaris Gomeſij, ſancti Officij calificatoris, & cõſultoris, noſtrique in curia Regia Cœnobij comẽdatorijs, cui cõmiſimus cenſuram tractatus de iuſto Imperio Luſitanorũ Aſiatico, quem nobis obtulit approbandum venerabilis Pater Magiſter, & Doctor Fr. Seraphinus de Freitas Cathedram Veſpertinam ſacrorum Canonum in Pinciana Academia moderator præſentium tenore facultatem concedimus ipſi Doctori, vt tractatum prædictum in lucem edere poſsit, dummodo prius licentiam à Regio concilio impetret, in cuius rei fidem præſentes dedimus nomine proprio, ſignoque officij noſtri minori obſignatas in noſtro Matritij conuentu, poſtridie calendas Maij. Anno 1523.

Fr. Gaſpar Prieto Magiſter Generalis.

CA-

Capita dissertationis Incogniti super mari libero.

Ca-

CAPITA DISPVTATIONIS Seraphini, de iusto Imperio Lusitanorum Asiatico.

DE

DE IVSTO IMPERIO LVSITANORVM ASIATICO.

SVMMARIVM Capitis primi.

1 IOANNES primus Lusitaniæ Rex Septam expugnat.

2 *Henricus Lusitaniæ Infans, primus nauigationem per mare Athlanticum, seu Æthiopicum aperuit.*

3 *Dionysius Rex Christi ordinem instituit.*

4 *Romani Pontifices concedunt Lusitaniæ Regibus ius nauigationis in Indias.*

5 *Christophorus Columbus Occidentales Indias detexit.*

6 *Lusitaniæ, Castellæque Reges de iure Americæ disceptãt, ac paciscuntur.*

Alexander VI. diuisit ius nauigationis in Indias inter

bitionē commercij, & peregrinationis, contra incognitū.
25 *Nauigationis libertas non pertinet ad primum naturæ integræ statū, nec ad ius gentium immutabile, & n. 17.*
26 *Vtens iure sibi competenti nemini facit iniuriam.*

AN IVRE GENTIVM QVIBVS-uis ad quosuis libera sit nauigatio?

CAP. I.

1 INTER Lusitaniæ Reges, qui prosperis euentibus rem, & suam, & Christianam auxere, præcipua celebritate enituit Ioannes, eo nomine primus, qui transmisso in Africam exercitu Septam vrbem opulentissimam, & Hispaniæ terrorem, à Mauris insigni victoria expugnauit; is è Philippa Alencastria Eduardi VI. Britaniæ Regis nepte filios procreauit quinque, è 2 quibus Henricus bellica virtute, vitæ sanctimonia & in Deum, ac superos omnes, præcipuè Beatam Dei Matrem cultu, & religione insignis, nomen suum æterno famæ præconio apud posteros consecrauit, qui ex magistratu Ordinis Equitum, cui præerat, & quem Dionysius tritauus Christi nomine contra infideles instituerat, non exiguos annuos redditus, & vectigalia capiebat, quæ in nomi

nis Lusitani gloriam,fideique Catholicæ amplitudinem insumenda,cum in animum induxisset, incognita scrutari maria,gentesque feras, & Demoniorum cultrices ad salutis viam traducere,Christique vexillum in omnes partes , quoad eius fieri posit,inferre submissis classibus intendit , cuius auspicicijs anno 1410.ad montem vsque Leænam peruētum est,insulæ quoque plures vasto inOceano sunt detectæ.

3 Huic,Regibusque Lusitanis (ne tantum opus intermitteretur,ne vè ab alijs impediretur)à Martino.V.ius nauigationis, commercijque exercendi priuatiuè quoad alios,in Africam,& Asiam,sub fidei propagandæ cōditione concessum est, quod alij Pontifices posteà confirmarunt. Hanc nobilē nauigationis explorandæ,imperijque propagādi curā Alfonsus V.Eduardi Regis,qui Henrici frater fuerat,filius, Ionnnes II. Alfonsi filius,Emmanuel Ioannis patruelis frater fœliciter prosequuti sunt.

4 At cum Christophorus Columbus Genuensis Indias,vt vocant,Occidentales,oblata priùs Emmanueli ad nouas terras quærendas opera , & ab eo reiecta,Ferdinandi,& Elisabet Castellæ Regū

5 expensis,anno 1492.detexisset ¶ occasionem præbuit disceptationi inter ipsos Lusitaniæ,& Castellæ Reges,ad quorum vtrum ea expeditio propter Martini V.aliorumque Romanorum Pontificū, quæ Lusitanis fauere videbantur, diplomata, pertine-

tine-

tineret; Sed multis consanguinitatis, affinitatis, pietatisque vinculis, & rationibus deuincti Principes, ipsi inter se fœdus inierunt. ¶ Et Romani Pō- 6 tificis, qui tunc Alexander VI. erat, decreto, & authoritate anno 1493. indultum est, vt Lusitanus in Orientis, Castellanus in Occidentis Indiarum expeditionem, & conuersionem diuisim operam, & studium impenderent; Quam in Prouintiam vterque, absque aliorum Principum querela, & iniuria, imò cum ipsorum scientia, & consensu (inuitati enim fuerant) pacifice per tot annorum curricula cum multo suorum sanguine, in auditis laboribus, & infinitis propemodum expensis incubuit: ¶ quousque Sebastiano Lusitaniæ Regi in Africa 7 infœliciter occiso, & sine prole decedenti Henricus Cardinalis patruus magnus, & Emmanuelis filius successit; quo breuiter extincto Philippus II. Castellæ Rex, iure hæreditario, Emmanuelis ex Elisabet Imperatrice, & Henrici sorore nepos Lusitanum adeptus est imperium, anno 1580.

Batauí, qui à Philippi proprij, & naturalis Princi- 8 pis fide, & obedientia discesserant, sub rebellionis prętextu ius Lusitanis in Indica emporia, & Imperiū cōpetens infestare cœperunt, & cum sæpius à nostris reiecti fuerint, ¶ incognitus quidam sub 9 Batauorum nomine ab armis ad ius appellans edito libro, cui mare liberum nomen indidit, omnes ingenij vires contra Hispanos, tanquam Oceani

partitores, & vsurpatores depromit, sed præcipuè ad ius Lusitaniæ in Asiam nauigandi, & negotiandi subuertendum, & labefactandum intendit, sæpius quasi victor triumphum agens, cum tamen omnis iuris fundamēta euertat, immutet, sibique prout libet accommodet, in eo tamen mihi maximè laudandus videtur, quod nomen suum prodere ausus non fuerit, timuit enim in adulterinis interpretationibus, & imposturis deprehensus pœnam, aut vituperationem subire, non præmium, nec laudem comparare. ¶ Hunc librum, cum casu ad manus peruenerit nostras, ad iuris examen, & incudem reducere constitui, cum tamen ingenij mei vires agnouerim, non tantum mihi arrogo, vt ius nauigationis, & cōmercij in Indias Hispano Regi competens, à me vno pendere existimem, nec committam, vt tantæ causæ præiudicetur, siuè disputandò stem, siuê cadam. Sunt enim plures alij è nostris, qui maioribus rationum documentis, & ponderibus rem discutere, & illustrare, prout ipsa res postulat, queant, fundamenta tamen ab incognito excogitata solum demoliri curabo.

10

11 Omissis longioribus disputationibus breuiter, ac succintè ostendemus Batauis ad Indos nauigandi, aut cum illis commercia exercendi ius non esse quidquid incognitus persuadere nitatur, si recta iudicij trutina, (vt ipse postulat) res examinetur. Ne

autem

autem vim, & disputationis argumenta subterfugere videamur, ipsius ordinem sequemur, & fundamenta ob oculos proponemus, vt aptius refellantur.

In hoc primo cap. astruit incognitus, iuxta iuris gentium, quod primarium, & immutabile vocant (partiuntur enim ius gentium in primarium, & secundarium) certissimam regulam cuilibet integrum esse alienas Prouincias adire, & illic negotiari, idque in generis humani beneficium ex diuina prouidentia, cum alterius gentis adiumento altera indigeret, vt considerat Plinius in Panegyrico ad Trajanum: Hinc infert ius hoc æqualiter ad omnes gentes pertinere, ita vt nulla resp. nullus Princeps in vniuersum prohibere queat, quominus alij ad subditos suos accedant, & cum illis negotientur, l. nemo igitur. ff. de rer. diuis. §. 1. Inst. eod. l. mercarores. C. de commerc. hinc descendere ius hospitale sanctissimum, iuxta illud Ilionei apud Poetam, lib. 1.

Quod genus hoc hominum, quæ ve hunc tam barbara morem,
Permittit patria? Hospitio prohibemur arenæ!

Et lib. 7. *Littusque rogamus*
Innocuum, & cunctis vndamque, auramque patentem.

Ex qua causa varia, apud varias nationes, orta bella recenset, Amorræos iustè ab Israelitis deuictos, quia innoxius denegabatur transitus, ca. vlt.

 23. q. 2.

23.q.2. Genuensibus in Venetos, Sigon. vlt. de reb. Italiæ, Christianis in Sarracenos, quia per illos Iudeæ aditu arcerentur, Couar. reg. peccatum. 2.p. §.9.nu.4.vers. quam causam, Castellanis in Americos has potuisse iustas belli causas esse Vict. de indis.2.p. à num.1. Couar. d.n.4.vers. quintò, & ob id Romanos à Germanis, apud Tacitum 4. hist. accusatos, quod colloquia, congressusque gentium arcerent, flumina, terras, & cœlum quodammodo ipsum clauderent, ex quibus deducit inique facere Lusitanos, etiam si domini terrarum essent, ad quas Bataui accedunt, & maris, quo nauigant, si eos aditu, & mercatura excludant, & multò iniustius, cum nec maris sint domini, nec gentibus illis dominentur.

13 Sed vt hinc incipiamus diuisio iuris gentium in primarium & secundarium Iuris Consultis incognita fuit & contraria, qui ius gentium vnicum esse docuerunt, constat ex l.1. ad fin. cum seq. & ex l. manumissiones quoque, & ex l. ex hoc iure. ff. de iustitia, Couar. reg. peccatum. 2. p. § 11. n.3 Mol. lib.1. cap.2.n.5. in fin. Pichard. §. singulorum, n.2. Inst. de rer. diuis. Fab. in Papin. tit. 2. princip. 4. illat.7. confut.1. nec illa diuisio docendi gratia sustineri potest, tum quia vt contra Pinel. in rubr. de rescind.1.p. cap.1.n.13. aduertit Valasc. de iure emphyt. q.3. n.5. non est recta docendi Methodus, quæ iuri aduersatur, tùm maxime, quia iuxta eam

distin-

distinctionem diuisio rerum constituenda foret sub iure gentium secundario, l. ex hoc iure. ff. de iust. ibi: *Dominia distincta*, & tamen Iuris Consulti censent ius illus proditum fuisse cum genere humano, l. 1. ff. de adquir. rer. domin.

14 Cum ergo vnus sit author iuris gẽtium putà ratio naturalis, l. omnes. §. quod verò. ff. de iustit. & iur. ibi: *Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur, vocaturque ius gentium*, vnus finis scilicet bonum naturæ humanæ, vna resp. nempe omnes homines, dum sub ratione naturali tamquam sub vno Principe colliguntur ex traditis per Salas de legib. disp. 2. n. 21. col. 2. consequens est dicamus vnicum esse ius gentium.

15 Ad internoscendas tamen varias iuris gentium constitutiones, quidquid insudent, & torqueantur, Suar. de legib. lib. 2. cap. 17. cum duob. seq. & Salas eod. tract. disp. 2. à n. 9. post plures quos citant: constituendum est discrimen inter statum naturæ integræ, & corruptæ, ita vt ad alterum pertineant ea, quæ per dictamen rationis naturalis ad bonum naturæ humanæ, natura sua ordinantur, vt putà religio erga Deum, obedientia in parentes, violentiæ repulsio, l. veluti, l. vt vim. ff. de iust. matrimonium, liberorum educatio: & similia, de quibus in cap. ius naturale, dist. 1.

16 Ad alterum caput spectant ea, quæ attento sta-

tu præsentis naturæ hoc est corruptæ, & sic muta tis iam rebus eodem rationis dictamine sunt const tituta, vt seruitus, manumissio, distinctio dominiorum, & similia, l. manumissiones, l. ex hoc iure. ff. de iust. cap. iusgentiũ, dist. 1. sicut namque omnia priora ante naturam corruptam, ita hęc posteriora supposita rerum mutatione naturæ humanæ conueniunt, sentit Iulius Pacius cẽt. 1. quæst. 2.

17 Hæc prænotauimus, vt pateat nauigationem potius ad secundum, quàm ad primum iurisgentium caput spectare. ¶ Quia tantum necessaria

18 est ad subleuãdam naturę corruptę indigentiam,

19 vt ipse etiam incognitus supra agnoscit. ¶ Quæ indigentia ab illo aureo sęculo exularet, vt pingit Poeta, lib. 1. Georg.

Ipsaque tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

Et Ouid. 1. Metam.

Aurea prima sata aetas, quæ vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat.
Pœna, metusque aberant, nec vincla minacia collo
Ære ligabantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.
Nondum cæsa suis, peregrinum vt viseret orbem,
Montibus, in liquidas pinus descenderat vndas,
Nullaque mortales, præter sua, littora norant;
Nondum præcipites cingebant oppida fossæ,
Non tuba directi, non æris cornua flexi,

Non

Non galeæ, non ensis erat, sine militis vsu
Mollia securæ peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus,
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

Quòd autem nauigatio ad statum naturę corruptæ pertineret, sentit Ouid. 1. Metam.

De duro est vltima ferro.
Protinus irrupit venæ peioris in æuum
Omne nefas: fugère pudor, verùmque, fidesque,
In quorum subière locum fraudesque dolique,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi.
Vela dabat ventis, nec adhuc bene nouerat illos
Nauita: quæque diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultauère carinæ.

* Imò nauigare contra naturam esse sentit Horat. lib. 3. Od. 24. 20

Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt? neque feruidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Durataque solo niues
Mercatorem abigunt? Horrida callidi
Vincunt æquora nauitæ.

Et Claudianus, lib. 1. de raptu Proserpinæ.

Inuenta secuit primus qui naue profundum,
Et rudibus remis sollicitauit aquas
Qui dubijs ausus committere flatibus alnum,
Quas natura negat, præbuit arte vias.

Adstipulatur Boetius de cõsolat. lib. 2. metr. 5.

Felix nimium prior ætas
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu:
Nondum maris alta secabat,
Nec mercibus vndique lectis
Noua littora viderat hospes.
Vtinam modo nostra redirent
In mores tempora priscos.

21 Tantum abest, vt nauigatio ad integrę naturæ statum, seu vt vult incognitus Vasquium illustr. cap. 89. num. 30. secutus, ad primarium ius gentiũ spectaret in eum sensum, quo ipse primarium accipit, quod quidem, nec probat, nec probare potest, semper enim intentionis fundamentum alijs probandum relinquit, quod est maximum in disputando vitium.

22 Quòd vt magis clarescat aduertẽdũ est, quoad propositum duobus modis posse aliquid cadere sub ius naturale (ad quod reducunt iusgentium primęuum Salas de legib. disp. 2. num. 13.) primò, & propriè quando lex naturalis id præcipit, secũdò dicitur aliquid de iure naturali per modum

per-

permissionis, negationis, aut concessionis, Suarez lib. 2. de legib. cap. 14. num. 6. post alios: inter hos modos illud discrimen constituendum est, quod pręcepta iuris naturalis immutabilia sunt, sic procedit decisio Iustiniani in §. sed naturalia, Inst. de iure naturali, restringentis se ad iura, quæ diuina prouidentia sunt constituta, vt bene aduertit Iulius Pacius Centur. 1. quæst. 2. Et ita textus ille non procedit in his, quæ competũt de iure naturę, sed in ipsis met iuribus naturalibus, videndi Suarez de leg. lib. 2. cap. 13. & 14. Salas eod. tract. disp. 5. sect. 7. à num. 30. Cæteræ vero species cum præceptum non contineant, mutatis rebus variari poterant, sic libertas, & seruitus, communitas rerum, & ipsarum diuisio, & similia respectu diuersi temporis, & status variari, & substineri possunt; quamuis libertas, communitas, & similia essent de iure naturæ, non tamen præceptiuo: Ratio differentię est, quia prior iuris naturalis species continet regulas, & principia bene operandi, quæ continent necessariam veritatem, & ideo immutabilia sunt; posterior vero species pendet à rerum statu, & mutatione, & ideo variabilia sunt, Suarez de legib. lib. 2. c. 14. num. 18. & in his terminis non mutatur ius naturale, sed circunstantiæ rerum variantur, vt docent Soto lib. 1. de iust. quæst. 4. art. 5. Suarez vbi proximè cap. 13. à num. 5. Salas de legib. disput. 5. sect. 7. num. 31. cum seq.

Imò

23 Imò licet nauigatio, & commercium in primæuo naturę integræ statu exercerentur, non tamen ad iuris naturalis præcepta pertinerent.

24 Hinc fit posse Principem exteros ad terras suas, commercium ve non admittere, & subditis interdicere illud cũ exteris, de quo infra cap. 2. n. 16. Vndè immerito hanc prohibendi facultatem Principi supremo adimit Incognitus imponens Imperatori Iustiniano, iurisque consultis, quod nunquam consueruñt: cum Dido excipiens Ilionei querelá, de qua supra num. 2. id sibi licitum fore innuit. Primò Æneidos.

Tum breuiter Dido vultum dimissa profatur,
Soluite corde metum Teucri, secludite curas:
Res dura, & Regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & latè fines custode tueri.

25 Nec Germani, apud Tacitum lib. 4. hist. propter eam causam Romanos damnant, vt Incognitus putat Taciti sensum inuertens; cum enim Germani sæpe sępius rebellarent, statuit senatus Roman. ad euitandas populorum cõspirationes, ne Tencteri, & Agrippinẽses, quos Rhenus diuidebat, inter se commearent, vt diuisis viribus in officio continerẽtur; sed cum Ciuilis è Batauis nobilissimus in Romanos coniuraret, Tencteri per legatos ab Agrippinensibus postulant, vt se socios in commune bellum asciscant. *Nam* (ferocissimus è legatis sic protulit) *ad hunc diem flumina, ac terras, & cœlum quodã-*

modo

modo ipsum clauserant Romani, vt colloquia, & congressus nostros (gentium *reposuit Incognitus*) *arcerent; sed vt amicitia societasque nostra in æternum rata sit, postulamus à vobis, muros Coloniæ detrahatis; Romanos omnes in finibus vestris trucidetis; bona interfectorum in medium cedant, liceat nobis, vobisque vtramque ripam colere, vt olim maioribus nostris.* Sed Agrippinenses Tencterorum legationem, Consilium, & Commercium, nec indistinctè ad misere, vt refert Tacitus, in hũc modum respondentes. *Muros ciuitatis augere nobis quam diruere tutius est, si qui ex Italia, aut prouincijs alienigenæ in finibus nostris fuerant, eos bellum absumpsit, vel in suas quisque sedes refugere, eductis olim, & nobiscum per cõnubium sociatis, quoque mox prouenere, hæc patria est, nec vos adeo iniquos existimamus, vt interfici à nobis parentes fratres, liberos nostros velitis, sint transitus incustoditi, sed diurni, & inermes.* Vndè constat, quod nec Agrippinenses Tencteris circa Rheni transitum, & commercium multum fidebant. Quis ergo prudentissimum populi Roman. sicut cuiusque alterius Principis decretum ad continendos in imperio homines Prouinciales, ne pro tempore inter se coeant, damnabit nisi Incognitus, aut factum hoc quid cõmune habet cum nostra quæstione?

26 Ex quibus deducitur nullius momenti, imò falsum esse fundamentum, cui tota incogniti machina innititur: dum ad primum iusgentium libertatem nauigandi, & negotiandi apud exteras natio-

nes,

nes, pertinere securè autumat, quia vel intelligit de primæuo iuregentium, hoc est de primo integræ naturę statu, & in hunc sensum iam supra astruimus id substineri nō posse, quod & ipse Incognitus fatetur cap. 5. & probat in hæc verba: *Quod vt clarius explicent, negant eo tempore campos limite partitos, aut commercia fuisse vlla*, frustra igitur facultas negociandi supponitur, vbi negociatio in rerum natura dari non poterat, & idem de nauigatione ostendimus supra.

27 Si vero intelligit de iuregentium primæuo, hoc est immutabili, & indispensabili, hoc etiam defendi nequit, vt iam probauimus, imò & oppositum significat ipse auctor cap. 2 dum ait: *Quòd Lusitani, vt aliæ gentes, à Iauæ, Taprobanæ, Molucarum Principibus, ius mercandi exorant, nec habitant quidem, nisi precario.* Si ergo ex Incogniti cōfessione Lusitani, & alij à Principibus, ad quorum Prouincias nauigant, ius mercandi impetrant, non iure proprio vtique, sed alieno beneficio id consequuntur: frustra namque impetratur, & pro priuilegio datur, quod iure communi, & naturali conceditur, l. 1. ad finem. ff. ad muncip. iure proprio vtens, quod sibi à natura competit, nemini facit iniuriam, l. fluminum. §. fin. de damno infecto. Habitatio etiam precario repugnat eidem iuri, pendet vtique à libera concedentis voluntate: est enim natura æquum tandiu te liberalitate mea vti, quandiu ego velim, & vt

possim

posſim reuocare, cum mutauero voluntatem, l. 2. ff. de precario. Si ergo nauigantibus ad Orientis Prouincias precaria habitatio, & negotiatio à Principibus permittitur, vt firmat Incognitus, eo ipſo eam reuocare iure naturali illis competit. At implicat contradictionem competere mihi de iure naturæ immutabili ius nauigandi, & negotiandi in Moluccas inuitis terrarũ dominis, & eodem iure Moluccarũ Regibus fas eſſe me ab ea nauigatione, & commercio prohibere, quod Incognitus ſibi contradicens admittit, vel iam eam prohibendi facultatem Principi, reique pub. concedit, quod antea negauerat, vnde corruat ipſius fundamentũ neceſſe eſt, quod ex ſequenti cap. apertius apparebit. Quod verò attinet ad rationes, ob quas Bataui & alij â noſtris prohibentur ad alienas Orientalis tractus terras nauigare, ſuo loco diſputabitur. Pẽdet enim hæc quæſtio ex diuerſo fundamento, de quo cap. 7. & 8.

SVMMARIVM
Cap. II.

1 *Diſputationis ſtatus.*
2 *Tranſitus innocuus per alienas terras liber eſſe debet.*
3 *Neceſſitate in extrema omnia ſunt communia.*
4 *Naufragantibus ſuccurrendum, non bona auferenda.*

B 5 Pæna

5 Pœnæ in raptores bonorum ex naufragio.

6 Infidelibus naufragantibus bona non auferenda contra Sayrium.

7 D. Franciscus de Almeyda Indiæ Prorex Onoris Regi bellum intulit ad repetenda bona Lusitanorum naufragantium.

8 Sinarum barbara Statuta contra peregrinos, & naufragas.

9 Post rerum diuisionem vnicuique libera est de rebus proprijs disponendi facultas, quæ & reip. competit.

10 Commercio sunt exemptæ res, quas natura ius gentium, aut mores ciuitatis prohibuere.

11 Statutum prohibens extraneis vendere valet.

12 Lusitaniæ leges succiplenæ.

13 Princeps potest prohibere commercium cum exteris, à quibus cauendum censet.

14 Saguntini Carthaginenses ad commercium non admiserunt propter subiectionis timorem.

15 Negotiari, & peregrinari, de iure gentium fas est quousque prohibeatur.

16 Aliud est expellere à commercio, aliud non admittere.

17 Victoria, & Ægidius taxantur dum resoluunt non posse Principem sine causa exteros à suis terris, & commercijs arcere.

18 Exempla Incogniti aliena à disputatione.

De iure peregrinandi in alienas Prouincias.

CAP. II.

1 CVM Incognitus nec rerum, nec temporum cauſas, & circumſtantias diſtinguat, aut ſeruet, ſed inuoluat, & confundat: ad illuſtrandum diſputationis campum operæ precium erit, triplicē rerum ſtatum quoad propoſitum conſiderari: aut enim agitur de tranſitu, aut de extrema peregrini neceſsitate, aut tandem extra hos caſus de iure in alienas Prouincias peregrinandi attenta rerum natura.

2 In primo caſu ſi conſtet de tranſitu innocuo, liber erit omnique iure debitus, armiſque iuſtè (ſi negetur) aperiendus, Palacius de iuſta, Nauarræ retētione p. 5. §. 3. Caſtro de iuſta hæreticorum punitione lib. 2. cap. 14. verſ. tertia, pag. mihi 376. Mol. tract. 2 diſp. 104. verſ. ſeptimo poſt alios. Sic defenditur bellum Iſraelitarum aduerſus Sion Regem Amorræorum num. 21. quia vt Auguſt. ait c. vlt. 23. quæſt. 2. *Notandum ſanè eſt quemadmodum iuſta bella gerantur à filijs Iſrael contra Amorreos, innoxius enim tranſitus denegabatur, qui iure humanæ ſocietatis æquiſsimo patere debebat.* Huc pertinent non nulla bella,

 quo-

quorum meminit Incognitus in capit.1.vt ibidem in argumentum adduximus. Cæsar namque, quod senatus aditum sibi Romam denegasset, rectè dixit apud Lucanum lib.1.

Arma tenenti
Omnia dat, qui iusta negat.

3 In secundo vero casu quando extraneus aliquo rerum vsu extremè, vel grauiter indiget, non potest illo licitè prohiberi, tùm quia charitatis lex id postulat, tùm etiam quia rerum diuisio præiudicare non potuit, quominus vnusquisque, etiam inuitis dominis, ea re vtatur, qua extremè indiget, Molin.2.disp.105. vers. At nobis, rectè igitur Cicero offic.1. *Quid tàm commune, quàm mare fluctuantibus, littus eiectis*, refertur ab Incognito cap.5.

4 Hinc (ne ab Incogniti exemplis discedamus) Ilionei, & sociorum, qui naufragium passi ad Africæ littus eiecti sunt, hospitij imploratio à Didone apud Virgil. 1. Hinc Æneæ ad Italiam appulsio, & sedis à Latino Rege dijs Penatibus deprecatio Virg.7.

Dijs sedem exiguam patrijs, littusque rogamus
Innocuum & cunctis vndamque, auramque patentem.

5 Hinc Federici Imperatoris sanctio auth. nauigia. C. de furtis, aduersus raptores bonorum, quæ naufragio periere, omni consuetudine abolita, Rebuf. ad leges Galliæ in procem. glossa 5. numer. 74. Sayrus in Thesauro libr.3. cap. 8. num. 5. & 8.

Ele-

elegantius P. Fr. Ant. de Sousa sanguine, literis, & virtute illustris de censur. bullæ cœnæ cap. 5. disp. 38. vndè iniustum esse statutum, vt princeps bona naufragantium capiat, doeent Tabiena excommunicatio 5. cap. 25. §. 3. Paludan. in 4. dist. 18. quęst. 3. art. 4. Caet. 2. 2. quęst. 66. art. 5. ad 2. & verb. furtum, Sot. 5. de iust. q. 3. art. 3. Nau. c. 27. n. 117. Cou. reg. peccatum 3. p. §. 2. n. 5. nisi retineret animo reddendi dominis, si quæsiti compareant: quo pacto excusatur lex Philippi II. secundum eosdem, aliter consuetudo non excusat, cum sit corruptela contra ius naturæ, ex Tab. Caet. Nau. & præcitatis.

6 Adeò, vt etiam infidelibus (nisi cũ quibus iustũ nobis bellum est) naufragãtibus naues, & bona sint restituenda, & hospitiũ exhibendum, Nau. in man. editione anno 584. c. 17. n. 98. Vndè cauendũ est à Sayro, d. c. 8. num. 5. & 6. resoluente per ius Ciuile, & Canonicum concedi infidelium naufragantium bona rapi. Refellitur enim, quia Imperator vbi supra excepit tantum piratas, hostes, & Christiano nomini inimicos, quales nõ sunt infideles simpliciter; inde prodita est excommunicatio etiam bullæ in eos, qui Christianorũ naufragãtiũ bona in mari, vel littore inuenta, sibi scienter accipiunt c. excõmunicamus de raptor. Nauar. c. 17. n. 98. Suar. tom. 5. de cens. disp. 21. à n. 26. Sayro, d. c. 8. Sousa d. c. 5.

7 Inde iuste D. Franciscus de Almeyda, primus Indiæ Prorex Onoris Regi bellum intulit, quoniam

nostri in illius littus sæuæ tempestatis vi eiecti, equos Arabibus telluris illius incolis custodiẽdos tantisper tradunt, dum illi sedata tempestate reuertantur, Onoris Rex equos sibi retinere constituit, quousque malis belli edoctus pacem postulat, & bona restituit, Osorius lib. 4. de rebus Emmanuel. Ex præcepto namque charitatis naufragis, & ita extremè indigẽtibus opem vnusque ferre tenetur Nauarr. & supracitatis.

8. Vndè barbara, & execrãda est Sinarũ cõsuetudo (corruptelã dicas) quæ bona naufragio perempta Regi applicat, ipsosque naufragãtes, velut dijs inuisos immaniter accipit; flagellis, mẽbrorũ mutilatione, alijsque pœnis crudeliter mulctat, Pinto *en sus peregrinaciones*, c. 84. cũ seqq. & in peregrinantes tamquã in hostes inuadunt, Auberto Mireo de statu relig. Christ. lib. 2. c. 27. vers. Sinæ, *Pedro Ortiz en la viagen del mundo*, lib. 2. c. 6. Maffeius lib. 14. histor. Indic. initio, cum generis humani societati repugnet. Inter homines namque cognationem quãdam natura ipsa constituit, vt saltem in rebus extremis alter alteri subueniat, & non insidietur, l. vt vim, de iustit. ne afflicto afflictio addatur, cap. At si, ad fin. de Iudicijs.

9. Tandem in tertio, & vltimo casu, post rerum, & Prouinciarum diuisionem, non minus propria sunt, cuiusque reipub. quæ ab ea possidentur in cõmuni, & quorum dominium penes totam remp.

est,

est, quàm sint cuiusuis priuati de repub. quæ ab eo, vt propria possidentur; quamobrem quemadmodum quisque priuatus interdicere potest omnibus alijs, ne rebus ipsius vtatur, l. id quod nostrũ, de reg. iur. & licitè etiam potest nullum cum alijs cõmercium admittere, l. neque emere. C. de iure deliber. Inuitum enim distrahere postulantis desiderium, iustam causam non continet. l. inuitum, C. de contrah. empt. sic etiam respubl. aut Princeps licitè prohibere potest omnibus extraneis, ne rebus proprijs reipubl. quæ communes sunt ciuibus, vtantur, liciteque etiam poterit velle nul-
10 lum cum extraneis habere commercium. ¶ Earum enim rerum, quas natura, vel ius gentium, vel mores ciuitatis commercio exuerunt, nullam venditionem esse respondit Paulus in l. si in emptione
11 §. omnium, ff, de contrah. empt. ¶ Valereque statutum prohibens vendere extraneis, omnium calculo receptum est, Tiraq. de retract. 1. in præfat. num. 14. quod non paucæ respublicæ obseruant Molin. 2. disp. 105. column. 1. & sicut vnicuique rem suam huic, non verò illi vendere omni iure licitum est, & rerum suarum vsum concedere, cui libuerit, eumque alijs interdicere: ita & vna Prouincia vsum quarumdam rerum aliquibus extraneis concedere poterit, quod ab ea libertatem nõ adimit, quominus similem vsum alijs peregrinis denegare possit, Moli. vbi proximè. Vnusquisque

namque arbitratu suo quærere, vel probare poterit emptorem; grauis cũ videatur iniuria, vt homines de rebus suis facere aliquid cogantur inuiti, l. dudum. C. de contrah. empt. quod & legibus municipalibus caueri solitum est, Molin. 2. disputat. 370. in fin. vt constat ex nostris Lusitanis lib. 4. tit. 11. in

12 princip. ¶ Quas præ ceteris in Hispania, & Gallia à se lectis succi pliniores, & cõcinniores firmat Nau. de orat. cap. 18. n. 50.

13 Quòd à fortiori locum habebit, vt possit quæ vis respub. licitè prohibere commercium portum, & habitationem extraneis, quò eos potentiores viderit. Timere nãque iustè poterit, ne ipsam, quę humana est malitia subijciant, ne ve incõmodũ, aliud ex eorum commercio, & habitatione experiatur; eaque de causa prudenter poterit præscindere occasiones omnes, sibique consulere, ne quidquam tale eueniat, ea, quę ipsius sunt illis denegando, Mol. d. disput. 105.

14 Hinc meritò Saguntini olim, vt erant à multo vsu cauti, magnoque ingenio non ignari Pœnos libertati Hispaniarum insidiari, à suis eos littoribus prohibuerunt, ingeniorum dexteritate prouincialibus persuasis ab eius gentis commercio abstinere, in specie amicitię latere insidias, Marian. de reb. Hispan. libr. 1. cap. 16. hinc Carthaginenses, Græci, variæque gentes mercatores exteros ad se accedere prohibuere, Stracha de mercatura 2. par. num. 16.

nu.16.Matienç.l.1.gloſ.1.n.4.tit.12.libr.5.recop.

15 Licet namque iuregentium vnicuique fas ſit peregrinari in alienas Prouincias,illic degere,& negotiari. Victoria deIndis â n.1.p.2.Id tamen ita accipiendum eſt,& licitum interim dum ab habitatoribus non prohibetur Mol.tract.2.diſ.105. & huic ſententiæ etiam inuitus adſtipulatur Incognitus, c.1.Dum eam prohibitionem reipublicæ,Principive ſupremo licitã in vniuerſum non eſſe affirmat, ſpecialiter ſaltẽ,&ex cauſa planè cõcedẽs cuius cauſę rationẽ ſupremus Princeps cui reddere tenetur?

16 Nam conſtituendũ eſt diſcrimen inter exteros ad commerciũ iam admiſſos,& hoſpitio receptos, & inter eos admittendos: in primo caſu cauſa interuenire debet ad illorũ expulſionẽ â iure,quod iã adquiſierunt; Hinc iuſta noſtrorũ bella in India,nam poſtquam fœdere, & amicitia fuimus admiſsi,fraude,dolo,& inſidijs expulſi iniurias,occiſsiones proditorias,& prædas vindicauimus.In ſecundo vero caſu nulla requiritur cauſa iuxta prædicta, vt poſt Baldum, & alios ſingulariter reſoluunt Gerard. ſingulari 59.& Carolus Ruynus conſ.28. â numer. 15.vol.1.Stracha de mercatur.2.p.num.34.Repugnat enim naturali libertati,vt me inuito in domum meam ingrediaris,nam *turpius eijcitur, quàm non admittitur hoſpes*,Ouid.lib.5. de triſtib. eleg. 7.c. quẽadmodum de iure iurando.

17 Hinc reijciẽda eſt opinio Victorię de Indis 2.p.

in princip. & Ægidij l. ex hoc iure, cap. 7. num. 4. ff. de iustit. tom. 1. resoluentium non posse Principem sine causa forenses ad sua cõmercia, & terras non admittere, quibus non fauet, quod exilium est pœna, & quod Princeps Christianus non potest sine causa Iudæos à suis terris expellere, & similia, hæc enim ad expulsionem pertinent; illi verò, & nos agimus de admissione.

18 Ex hac rerum, & temporum distinctione liquido constat, quàm iniustè Incognitus hospitij, & naufragij fundamẽta afferat ad eam quæstionem, quam arbitris disputandam à se proponit: vtrum scilicet Principi, reipublicæ ve fas sit extraneum aliquem à suis littoribus, cõmercioque arcere; cũ qua nihil cõmune habet extrema necessitas, qua data Lusitanos inhumanitatis haud arguere poterit Incognitus.

SVMMARIVM.
Cap. III.

1 *Negat Incognitus Indiam à Lusitanis inuentam.*
2 *India antiquis cognita.*
3 *Taprobanæ notitia, & descriptio antiquis.*
4 *Infideles rerum habent dominium, quo spoliari non possunt, propter infidelitatem, aut*

igno-

ignorantiam.

5 *Batavi Lusitanos ab Indiæ imperio expellere conantur.*

6 *Arx Mombacensis contra Batavos à nostris defensa.*

Batavi sæviunt in templa, imagines, arbores, & lapides.

7 *Molucarum invasio à Batavis.*

8 *Malacensis urbis, arcisque obsidio stupenda à Batavis, & confederatis Regibus.*

Andreas Furtado de Mendoça adversus Batavos, & plures Reges arcem Malacensem defendens admirabilem reportat victoriā.

9 *Lusitani de iure finium, aut gradu constantiæ detrudi nequeunt.*

10 *Quæstiones disputandæ proponuntur.*

11 *India antiquis cognita.*

12 *Taprobana hodie Ceilam, olim à Romanis inventa, & ultimus illis finis.*

Ceilam Taprobana.

Lusitani ultra Taprobanam progressi.

13 *Inventio Indicæ navigationis per se non contulit ius Lusitanis.*

14 *Invenire quid significet?*

Vtrum

Vtrum Lusitani dominij ius habeant in eos Indos, ad quos Bataui nauigant, titulo inuentionis.

Cap. III.

1 AIT Incognitus cap. 2. Lusitanos non inuenisse Orientales Indias, tum quia inuenire significat in rem venire, & eius possessionem adipisci, Conanus lib. 3. cap. 3. num. fin. Lusitanos vero Iauæ, Taprobanæ, partis maximæ Molucarum, ad quas Batatui accedunt, Dominos non esse probat, quia ab illis, vt aliæ gentes, ius mercandi exorant, tributa pendentes, nec habitāt quidem nisi precario.

2 Tùm quia, nec reperijsse Indiam vllo modo dici possunt, quæ tot à sęculis fuerat celeberrima iam ab Horatij tempore lib. 1. Epist. 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens.

3 Taprobanes quoque pleraque exacte Romani descripsere Plin. lib. 6. cap. 22. Cæteras vero Orientis Insulas ante Lusitanos non tantum finitimi Persę, & Arabes, sed etiam Europei præcipuè Veneti nouerant.

4 Et tandem quia inuentio ius non tribuit, nisi in ea, quę antea nullius fuerant, l. 3. de adquirendo rerum dominio. At Indi ante Lusitanorum nauigatio-

tionem, siuè Mahumetani, siuè Idololatræ verum rerum suarum dominium, & possessionem habebant: quibus sine causa spoliari non poterant, Vict. de potest. ciuili 1. par. n. 9. Fides namque non tollit ius naturale, aut humanum ex quo dominia profecta sunt, D. Thom. receptus 2. 2. q. 10. art. 12. Vndè is titulus per se nihil iuuat ad possessionem illorũ, non plusquã si illi prius inuenissent nos Vict. de Indis 1. p. n. 31. vers. & ideo alius. Nec etiam in seruitutem redigi poterant ex eo, quia insensati essent, & amentes, hoc enim falsum est. Vict. sup. n. 23. & color redigendi inuitos ad mores humaniores, qui Græcis, & Alexandro vsurpatus est, à Theologis improbus, & impius censetur, Vasq. illustr. in præfact. à num. 5. ita in effectu discurrit Incognitus.

5 Nos vt satisfaciamus, prænotabimus prius, quòd Bataui non solum ad Iauam, Taprobanem, & Moluccas nauigant, vt affirmat Incognitus, sed ad cæteras Indiæ insulas, & terras etiam illas, quæ nostro dominio, & ditioni sunt subiectæ, nosque à possessione detrudere omnibus viribus conantur.

6 Quòd nobis vel tacentibus testatur Mombacensis Arx anno 1607. 29. Martij à duobus millibus Batauis mari cum octo nauium omni bellico apparatu instructarum, & terra magno tormentorum numero oppugnata, per duos fere menses, sed incredibili Stephani Ataidij arcis ducis constãtia, & animo defensa, qui oppugnatores à Batauia ad illã

rem

rem destinatos cum plus trecentorum nece,& vna naue tormentis submersa (cum è nostris quatuor defuerint,è centum quadraginta quinque, qui inter milites,pueros,senesque, intra arcem tantum erant)ita male mulctatos abire compulit, vt amplius eamdem expugnationem tentare non fuerint ausi,sed ad perpetuam hospitij,& transitus innoxij,quod postulant,& offerunt,memoriam,in templa,imagines,ædes,in arbores etiam,& lapides immaniter sęuierunt,vt illis factis in Orientali Ætiopia sui nomen æternitati sacrarent. Historia de Ætiopia Oriental,lib.3.cap.20.

7 Moluccarũ quoque vsurpatio,& à Ternatis antiqua nostrorum possessione expulsio adeo orbi nota est,&multis annalibus euulgata,historia de las Malucas, vt referre non sit necesse,quando Bataui cum Moluccarum regulis ad expellendos ex illis partibus Lusitanos fœdus, & vires adiunxere: sed tãdem fœdus insulas,& Cariophylon tãto precio hoc est proprio sanguine emptum post ingentes clades acceptas deseruerunt.

8 At stupendum illud Malacensis arcis obsidium exemplis cariturum fama loquatur, vbi velut in Orbis theatro ex vna parte indefessus triũphalibus innutritus coronis Andreæ Furtado de Mẽdoça spiritus,ex altera potentissimorum Regum innumerabiles phalanges,& classes instructissimę, tàm ipsorum Regũ,quâm Batauorũ in nominis Lusitani exci-

excidium communi fœderis vinculo conspirantiũ per quatuor fere menses certauere; mari terraque omne desperatum auxilium; vires peruigilio assiduo, & crebris oppugnationibus confectę; iam mures, iã putrida animalia in vsum cibi obsessis defecerãt. Furtadus crebra eruptione, importunus hostiũ mensis hospes adderat; ferro igneque armatus, omne tempus, omnem locum, conatumque varia ludificatione intutum, infidum, infestumque faciẽs, prius cæde, incendio ve facto ex mensis cibum, ex oculis se proripiens, quam contra eundi spatium daretur; & receptus intra arcis portas non virtutẽ mœnibus, sed mœnia virtute defendebat; ita vt nomini & actioni ipsius verè conueniret, illud Ouid. 1. Metam. *Viuitur ex rapto.* In tãta rerum iniquitate Alcides ille noctu diuque peruigilans non solum oppugnantes repellit, sed & lacessit; stetit tandem cælesti subnixus ope, quoad submissi à Goa subsidij adjumento hostes castris exuti, & profligati relictis impedimentis, & nauibus magna suorum susceptã strage, trepidantes in suam quisque domum ignominiose refugere. At cũ Mẽdoça à Rege euocatus ad præmia tantis rebus gestis debita adipiscẽda in Lusitaniam nauigaret, abrupto intempestiue filo.

Inuida quem Lachesis medio salis æquore raptum
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Non sine magno magnorum ducum mœrore, &

Batauo-

Batauorum tripudio, cuius tamen honorificam mentionem facit ipse Incognitus in secunda, quã refert pagin. 68. Epistola circunspectissimi Regis nostri Philippi III. qui eum heroem ad Batauorũ ab India expulsionem prælegerat.

9 Sic (vt ad rem redeam) Asia, & Europa Lusitanos nullis viribus, nullis difficultatibus, vel de iure finium, vel de gradu cõstantię dimoueri posse cog nouerunt, tametsi Bataui semper aggrediantur vi ribus longè superiores.

10 Sed eò vnde diggressa est, reuertatur disceptatio: sub breui verborum compendio, plures tangit Incognitus quæstiones, vt proposuimus in principio huius capitis, nos vt singulis respondeamus, sigillatim de vnaquaque differemus in hoc capite, & duobus sequentibus de Indiæ inuentione; de iure belli in cap. 9. sermo erit.

11 Quòd India cognita antea fuerat, lippis, & ton soribus (vt dici solet) notum est, cuius mentio sæpe in sacra pagina, sępius in omnibus antiquitatis annalibus repetitur; sed ignorat Incognitus Indiã vniuersam ad Arcticum Polum spectare, vt Ptolo męi Tabulæ, & Geographię Mappę testantur, Stra bo lib. 2. Osor. lib. 2. in princip. de rebus Emman. & ita per sinum Arabicum, aut Persicum ab Euro pæis olim, & hodie perlustratur, vt notauit Acost. lib. 1. de natura noui orbis cap. 11. Sed hęc cognitio nihil concludit cum nauigatione vltra æquino-

ctium

ctium per Bonæ ſpei promontorium, nec cum inuentione alterius orbis ad Antarcticum ſpectantis, quæ nec Latinis, nec Græcis patuere, vt ſequenti cap. demonſtrabimus.

12 Taprobanæque (quæ nobis Ceilam eſt) cuius meminit Plinius lib. 7. cap. 22. qua parte ab Europæis olim inuenta ad noſtrum pertinet Emiſpherium ex Solino capit. 53. Lucena libr. 2. c. 18. in vita Xauierij, vltimuſque Orbis terminus antiquis agnitus fuit, vt ſignificat Ouidius libr. 1. de ponto elegia 6.

Quid tibi ſi calida proſit laudere Syene?
Aut vbi Taprobanen Indica tingit aqua;

Vltra quem noſtri progreſsi terras alias, mare aliud, alios mundos, alia poſtremo Sydera nõ magis inuenerunt, quam ab æternis tenebris, & à veteri pene dixerim chao rurſus in hanc publicam lucẽ protulerunt, vt Angelus Politianus firmauit libr. 10. epiſt. 1. quod eleganter Homerus Luſitanus indicauit lib. 1. Liſiad. Rim. 1.

As armas è varões aſsinalados,
Que da Occidental praya Luſitana
Por mares nunca de antes nauegados,
Paſſaraõ ainda alem da Taprobana.

13 Ex hac tamen inuentione, & nauigatione nõ infertur ſimpliciter ius Luſitanis quæſitum, quid tamen inuentio profuerit, diſſeretur cap. 8.

14 Immoratur Incognitus in verbo inuentionis ſe

C Iuris

Iuris Consultum, & Grammaticum iactans, asseritque falso Lusitanos dicere se Indiam inuenisse, nam tota Latinitas (ait) quod adepti sumus idem demum inuenisse nos dicit, cui oppositum est perdere, & ita inuenire est in possessionem venire, l. si barsatorem, C. de fideiussor. quæstio hæc nominalis non cum Lusitanis, quorum nullum citat Incognitus, sed cum Ang. Polit. vbi proxime cum alijs grauissimis viris, cum Iuris C. imo & cum ipso Cicerone ineunda est, à quibus initia Græce, Latineque loquendi sumere debemus: differre namque inuenire ab occupare diserte mihi probat Vlpianus ab Incognito citatus in l. 1. de adquirenda possessione, ibi: *Margaritæ in littoribus inuentæ eius fiunt, qui primus earum possessionem nactus est*, idem significauit Gordianus Imperator in d. l. si barsatorem, dum Consultus decidit in ea specie qui se latronem inuenturum promisit, non satisfacere, si oculis notet, nisi in iudicio sistat, vt ex effectu, & intentione potius pacti, quam ex stricta verbi proprietate subsequens ab anteccedenti deducatur, vt habet summarium: inuenire ergo varias habet significationes, tàm apud bonos authores, quàm apud Iuris Consultos, vt ex Cicerone probat Nizolius verb. inuenire, & verb. inuentio, Calepin. Thesauro, & ex alijs Conanus ab Incognito citatus, lib. 3. cap. 3. ad finem, sufficiat contra

21

1

tra Incognitum illud Martialis, libr. 5. Epigr. 11. in emendatis.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas vno
Portat in articulo, Stella (Seuere) meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Inuenies; inde est hæc, puto, culta manus.

Sed siue inuenio pro exquirere, peruestigare absque occupatione, siue pro occupare sumatur, vtrumque recte Lusitanis conuenit, tum quia Indicæ nauigationis viam primi peruestigarunt, & aperuerunt, vt dicemus capite sequenti, tum etiam quia prædictæ nauigationis ius adquisierunt, vt constat ex deductis infra cap. 7. 12. 13. & 14. digna profecto quæstio tanto theatro! In quo inter alios damnatur Petrus Nannius latinus apud Louan. insignis professor, qui in epistol. ad Damian. à Goes sic ait agens de Orientali India. *Antipodum munera duplici ratione Hispanorum sunt, vel quod ipsi hunc Orbem inuenerunt, vel quod soli inde omnia deportant in suas apothecas à te digeruntur*: refertur, tom. 1. histor. Hispanor. pag. 1160. Quidquid quando opponitur verbo, *reperire*, significet rem quæsitam, & propriam offendere iuxta illud Metam. 2. *Tu non inuenta reperta est*, de quo Calep. & Conan. d. locis.

SVMMARIVM.
Cap. IV.

1 *Intendit Incognitus Lusitanos Indiam primos non inueniße.*

2 *Argumenta Incogniti dupliciter considerata.*

Aurea Chersonesus est Samatra.

3 *Argumenta, quæ ostendere videntur alios ante Lusitanos ad Indiam nauigaſſe.*

4 *Lusitani primi ad Indiam nauigarunt, & num. 7.*

5 *Diuisio Orbis in quinque zonas.*

Zona torrida antiquis impermia.

6 *Zona torrida viam ad Antarcticum impediebat ex Catholicorum etiam aßertione.*

8 *Indicæ nauigationis viam à Lusitanis aperiendam vaticinatur Isaias, & confirmatur alijs vaticinijs, num. 9 & seqq.*

9 *Æthiopes habebant vaticinium de nostra nauigatione.*

10 *Diuus Thomas Apostolus prædixit nostram in Indiam nauigationem, designauitque tempus.*

11 *Diuus Franciscus Xauierius testatur Gamam primum in Indiam nauigaße.*

Vtrùm Lusitani in Indiam primi per Oceanum Antarcticum nauigauerint.

CAP. IV.

1 FIRMAT Incognitus c. 2. & 5. Indiam ab Europæis ante Lusitanos fuisse cognitã, probátq; ex Alexandri Victorijs, ex signis nauium Hispaniẽsiũ in Arabico sinu agnitis, ex Hannonis, & Eudoxi nauigationibus Mella lib. 3. Plin. libr. 2. cap. 69. & lib. 6. cap. 31. ex legatis ab Indis ad Augustum, ad Claudiũ ex Taprobana, ex classe Alexandrinorum mercatorũ ex Arabico sinu, in Æthiopiæ, Indiæque vltima ex Strabone lib. 2. & 17. itinereq; exactè in aureã vsque Chersonesum, à Plin. libr. 6. cap. 23. descripto.

2 Hæc argumenta duplicem probationis respiciũt speciem, primam, quæ Indiam ab antiquis nauigatione, & commercio lustratam concludit, sed hoc argumẽtum nihil quoad præsentem quæstionem pertinere ex præcedenti cap. satis liquet: dum autem Incognitus auream Chersonesum (nobis Samatram) cuius meminit Plinius libr. 6. cap. 23. Iaponem ex alijs (is fuit Gerardus Mercator) esse asserit, exploditur à Ioanne Barrio decad. 3. libr. 2. capit. 1. Maffæo libr. 1. hist. Indiæ, pag. 20. & Lucena libr. 7. cap. 1. in vita Xauierij: & licet

Mercatoris opinio vera esset, parum officeret, quia Iapo iacet ab ęquatore in Arctum à trigesimo gradu ad trigesimum fere octauum ex Maffæo libr. 12. Vndè nihil concludit quoad Antarcticum (quę nostra est disceptatio)

3 Altera probationis species pendet ex fragmentis Hispaniensium nauium, Eudoxi, & Hannonis nauigatione, qui promontorio bonæ spei superato, ex Hispania in Indiam, & ab India in Hispaniã nauigarunt, de quibus in sequenti cap. sermo erit.

4 In præsentiarum ostendamus antiquorum, & modernorum authoritate, Lusitanos primos fuisse, qui ab Occidenti per vastum Oceanum ab Arctico in Antarcticum nauigarunt, Lusitanorum, vt Incognito suspectorum attestationibus reiectis: esset autem laboriosum nimis omnium authorum nomenclaturam in medium afferre; quos per trãsenam monacho assiduæ sacrorum Canonũ lectioni mancipato ad laborem studij leuandum legisse contigit, in medium producamus.

5 Geographi, Poetæ, & Historici Orbem in quinque zonas diuidunt, quarum media torrida antiquis in accessibilis habita transitum ab Arctico in Antarcticum denegabat. Virg. Georg. 1.

Quinque tenent cælum zonæ, quarum vna corusco
Semper sole rubens, & torrida semper ab igni est:
Quam circum extremæ dextra, læuaque trahuntur
Cerulea glacie concreta, atque imbribus atris.

Has

Has inter, mediamque duæ mortalibus ægris
Munere concessæ diuum, & via secta per ambas,
Obliquus quase signorum verteret ordo.

Et Ouid. 1. Metam.

Vtque duæ dextra cælum, totidemque sinistra
Parte secant zonæ: quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei: totidemque plagæ tellure premuntur:
Quarumque media est: non est habitabilis æstu,
Nix tegit alta duas: totidem inter vtramq; locauit,
Temperiemque dedit mixta cum frigore flamma.

Idem ostendebat, apud Senecam lib. 1. suasoria 1. Fabianus Philosophus astruens vltra Oceanum terras non esse habitabiles, deinde si essent, perueniri tamen ad illas non posse: quo loco inducitur Pedo Poeta, qui nauigante Germanico Imperatore sic canebat.

Quo ferimur? ruit ipsa dies, orbemque relictum
Vltima perpetuis claudit Natura tenebris.
Anne non alio positas sub cardine gentes,
Atque alium libris intactum quærimus orbem?

Arist. 2. met. cap. 5. hoc planè sentit, vt per Acost. li. 1. de natura noui orbis cap. 9. Ptholomeus Cosmographorum Princeps australis tractus terras, Mariaque incognita dicit lib. 4. de Æthiopiæ interioris situ cap. 1. tabul. 4. Africæ, & lib. 7. cap. 3. tabul. 11. Plinius lib. 2. cap. 67. *Sic Maria circumfusa vndique diuiduo globo partem Orbis auferunt nobis; nec*

inde huc, nec hinc illuc peruio tractu, & iterũ c. 68. *Media vero terrarũ qua solis orbita est, exusta flãmis, & cremata, quominus vapore torreatur circa duæ tantũ inter exustã & rigentes tẽperantur, eæque ipsæ inter se non peruiæ propter incendiũ syderis, ita terræ tres partes abstulit cœlũ, Oceani rapina in incerto est.* Tullius in somnio scipionis. *Mediũ autẽ illum, & maximũ solis ardore torreri, duo sunt habitabiles, quorũ Australis ille, in quo qui insistunt, aduersa nobis vrgent vestigia nihil ad nostrũ genus.* Solinus c. 58. *Iuga igitur vniuersæ partis propter solis ardorẽ peruiã negarũt.* Macrobius in somnio scipionis lib. 2. c. 5. *Licet igitur sint hæc duæ mortalibus ægris munere concessæ Diuũ, quas diximus temperatas; non tamẽ ambæ zonæ hominibus nostri generis indultæ sunt, sed sola superior, quæ incolitur ab omni (quale scire possumus) hominũ genere, Romani, Græci ve sint, vel Barbaræ cuiusq; nationis: altera vero sola ratione intelligitur, quod propter similẽ tẽperiẽ similiter incolatur, sed à quibus non licuit vnquam nobis, nec licebit agnoscere: interiecta enim torrida vtrinque hominum generi cõmercium ad se denegat cõmeandi.* Mella lib. 1. c. 1. de situ Orbis, & maximi quique suffragati sunt, vt ait Viues ad Diuũ Aug. lib. 16. c. 9. de ciuitate Dei, itaque neque Oceanũ illũ Indicũ, necque hũc alterũ Athlanticũ humanis viribus, aut industria traijci posse vna hominum sententia fuit ex Acosta lib. 1. de natura noui orbis cap. 8.

6 Et è nostris lactãtius lib. 7. de diuinis inst. c. 23. Philippus Vergom. in supplemẽto Cronic. lib. 1. Chassan. in Cathal. glor. mũd. p. 12. cõsi. 15. Greg.

Nazian.

Nazian. Epist. 71. *Porrò vltra gades mare hominibus nō esse permeabile Pindaro docēti assentior*, adeò vt D. Aug. li. 16. c. 9. de ciu. Dei, ex interclusione huius trāsitus homines, si in altero Orbe degerēt, de genere Adæ nō esse subtilissimo argumēto, & ex sacræ paginæ silētio deduceret, in quas angustias deductus, cū doctissimorum authoritate, & trāsitū, & Antipodes negauit, vt notat Acosta de nat. nou. orb. li. 1. c. 8.

7 Sed magis in specie quod Lusitani soli, & primi Orbē alterū penetrauerint, maximæ authoritatis viri agnoscūt: Abrahamus Ortelius, & is Flander in hæc verba in theatro Orbis in Africæ tabula. *Huius pars meridionalis veteribus Incognita permāsit vsque ad annū* 1497. *quo Vasquius de Gama primus promontoriū bonæ spei prætergressus Africa circū nauigata ad Calecutiū peruenit* Theodorus Zuingerus in theatro vitæ humanæ lib. 2. vol. 19. tit. de nautis, *Nauigatio Lusitanorū sane mira est, per maria penitus ignota, sub alijs syderibus, alio cælo, alijsque instrumētis peragenda: cū tāto itinere nullas terras nisi ignotas lingua religione, moribus diuersas prorsus barbaras, & peregrinis infensissimas attingere potuerūt, tanta difficultate minime impediti.* Ang. Politianus lib. 10. epis. 1. relatus c. 3. ad fin. sup. n. pen. Frā. Guicciardin. lib. 6. hist. Italiæ, Petr. Maffæus lib. 5. hist. indicæ: *eæ* (scilicet Molucæ) *Ergo ad quem dixi modum, cū antea Græcis, ac Latinis prorsus ignotæ fuissent, nostris hominibus denique patuere*, Iustus Lipsius physiologiæ lib. 2. cap. 17. *Nam nostra hæc ætas refutauit opinionem Plinij, & antiquorum, docuitq; & coli torridam*

& adiri Tomas Bosſius de ſignis Eccleſiæ tom. 3. lib. 21. cap. 2. verſ. 6. *Sic etiam non eſt ex tota antiquitate qui tan diuturnas, & opulentas nauigationes* (vt Luſitanos) *aperuiſſe vnquam legatur*, quod antea dixerat 1. tom. lib. 6. cap. 6. num. 20. Hartmanus Nurembergenſis ſub ſexta mundi ætate in Portugalia, fol. 290. *Aperuerunt ſua induſtria Luſitani alium orbem nobis antea incognitum.* Aubertus Miræus Bruxellenſis in politia Eccleſ. lib. 3. cap. 3. ad fin. ibi: *Africa tota circum nauigata Vaſcus Gama Luſitanus ex Europæis primus anno* 1497. *in Indiam Calecutum vſque penetrauit.* P. Bertius in geographia, tabula Indiæ Orientalis pag. 581. in hæc verba: *Poſtremum vero Vaſco Gama homo Luſitanus ſuperato bonæ ſpei promontorio, & vniuerſa Africa circum nauigata anno Domini* 1497. *viam Europæis oſtendit ex ſuo orbe in loca iſta nauigandi*, & in deſcriptione Æthiopiæ interioris pag. 497. vlt. impreſſione, *Angulus* (ait) *conſtituit promontoriũ, quod à Vaſco Gama, anno* 1497. *primum ſuperatum eſt.*

8 Sed & hanc fœlicẽ nauigationem prædixerãt olim inſignes vates Iſaias cap. 18. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratam, ad populum terribilem, poſtquem non eſt alius, ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius deripuerunt flumina terrã eius.* Quod vaticinium de nauigatione Luſitanorum ad Indos per Oceanum Æthiopicum (cum poſt Iaponios ab ortu, ſeu occaſu propinquior quælibet alia gens ſit) explicarũt Rebellus de oblig. iuſt. tom. 2.

lib. 18.

lib. 18. de promiſ. & donat. q. 23. ſect. 3. & Lucena in vita Xauierij, lib. 5. cap. 21. Eamque prophetiã per noſtros impletam inter illuſtria Eccleſiæ Fideique Catholicæ ſigna retulit Thom. Boſsius de ſignis Eccleſiæ libr. 20. cap. 3. ſigno 84. & cap. 6. pag. 50. cum ſeqq.

9 Quam confirmant duo alia præclara teſtimonia, nam vt eſt apud Oſor. lib. 11. de rebus Emma. pag. 435. anno 1520. cum Iacobus Lupius Sequeira, qui Indiæ Imperio præerat, in Arabicum ſinũ penetraret, ad Archiqui oppidum ad Æthiopiæ Regem pertinens ſubuectus eſſet: Archiqui præfectus accipiens claſſem Luſitanorum eſſe, Siqueiram per litteras humaniſsime ſalutauit, ſeque gratias ingentes Deo agere teſtificatus eſt, quod antiqua Prophetarum oracula euentu fœliciſsimo cõprobaret. Hoc enim à viris olim diuinis, qui in Regionibus illis maximum admirandæ virtutis ſpecimen dederant, prædictum fuiſſe fore, vt eo tempore Chriſtiani, terrarum, & marium interuallis diſiunctiſsimi, in eas oras claſſe peruenirent, quod & Dauid Æthiopiæ Imperator litteris ad Emmanuelem Portugaliæ Regem ſcriptis anno 1521. ſignificauit, quæ habentur in 2. tom. hiſto. Hiſpaniæ pag. 1293. Paulo Iouio intepræte.

10 Idem cum maiori miraculi ſigno prædixerat D. Thom. Orientis Apoſtolus ex Maffæo libr. 2. hiſt. Indiæ, Lucena libr. 1. cap. 13. in vita Xauierij

Milia-

Miliapora namque (hodie D. Thomæ Colonia à nostris nuncupata) duodecim leucas à mari distabat, & in ea ædificato templo defixaque lapidea cruce vaticinatus est vir Dei, cum ad eum lapidem vsque pertingeret pelagus, tunc diuino iussu ex remotissimis terris candidos homines ad eam, quæ ipse intulisset, sacra instauranda venturos: neque fefellit prædictio, siquidem sub Lusitanorum appulsum occultis tot annorum accessibus locus Oceano demum allui cœptus.

11 Sed (quando alia deficerunt) alterius Orientis Apostoli (is Xauierius erit in diuorum Cathalogum à Sanctissimo Gregorio XV. modo relatus) mihi sufficeret authoritas: Gamã enim primas in Indiã per Oceanum portas immortali cum fœlicitate, summaque Dei gloria apperuisse Petro Syluio ipsuis Gamæ filio, Malacæque præfecto palam, & secure affirmabat apud Lucenam in vita Xauierij lib. 7. ca. 15. Ad alias antiquorum nauigationes, quibus Incognitus innititur, gradum faciamus.

SVMMARIVM.
Cap. V.

1 *Hanno magna classe è Gadibus in Indiam nauigauit, ex aliquorum opinione.*

2 *Hominum variæ species ab Hannone inuentæ.*

3 *Fœmi-*

3 *Fæminæ sine hominis concubitu concipiunt in insula Gorgonum vide num, 6.*

4 *Catoblepas serpens visu necat.*

5 *Refelluntur Hannonis fabulæ.*

Homo sermone humanam conseruat societatem.

6 *Equæ iuxta Olysipponem absque masculo concipiunt.*

7 *Triginta hominum millia an in Indiam nauigauerint?*

8 *Hannonis in Indiam nauigatio habita pro fabula apud graues authores.*

9 *Hannonis nauigatio Æquatorem non superauit.*

10 *Hesperion promōtoriū lōge a Bonæ spei promōtorio distat.*

Hesperides Cabouerde.

11 *Hanno deceptus, & in quo circa Indicam nauigationē.*

12 *Gorgonum domus, Hesperidum hortus, aurea poma, & similia næniæ sunt.*

Batauì olim seueri, & graues.

13 *Eudoxi nauigatio in Indiam fictitia.*

14 *Indi tempore Romanorum in Germaniam naufragijs delati ex America.*

15 *Sinæ olim nauigationis, & commercij Occidentalium, & Orientalium Indiarum domini.*

Indi Orientales, & Occidentales à Sinis originem se ducere, iactant, & num. 21.

16 *Nummisma Augusti Cæsaris imagine insignitū reperitur in America per Hispanos.*

17 *Romani in Americam non peregrinarunt.*

Nūmisma illud per manus Sinarum in Americam peruenit contra Marinum, Lipsium, & Borrellum.

Liber-

Libertus Annij Plocami in Taprobanam delatus tempore Claudij Imperatoris varios Romanorum numos secum deferens.

18 *Numismata Latinis litteris insignita nostris temporibus inuenta in Taprobana.*

19 *Indi Occidentales non descendunt à decem Iudaeorum Tribubus contra Borrellum, & alios.*

20 *Indi non permearunt ex Africa, vel Europa per insulam Athlantidem contra Lipsium, & alios.*

Athalantis insula mari subuersa vna nocte, fabula est.

21 *India Occidentalis coniuncta cum Asia, vel Tartaria coniecturatur.*

22 *Refellitur Herodoti historia.*

23 *Lusitani primi in Indiam nauigarunt, colonias posuere Reges subiecere.*

In Indiam si alij primi nauigarũt à nauigatione destiterũt

Lusitaniae Regibus viginti, & octo Reges in India tributarij.

Bucanani encomium in Lusitanos.

Olysipo Orientis domina.

De Hannonis, & Eudoxi nauigationibus.

Cap. V.

REFERENTIBUS Mela libr. 3. cap. 10. Plin. lib. 2. cap. 67. lib. 5. cap. 1. lib. 6. cap. 31. Solino cap. vlt. Mariana libr. 1. cap. 22. Hanno Carthaginensis comparata classe,

classe, in qua sexaginta quinqueremes erãt, homi-
num vtriusque sexus millia triginta, Gadibus sol-
uens Hesperione (bonæ spei promontorium vocat
Incognitus) superato in Arabicum sinum penetra-
uit, quinto postquam soluerat anno, (qui trecente-
simus duodecimus erat ab vrbe condita) in Hispa-
niam redijt, testatusque ad vltimum non mare sibi
sed commeatum defuisse. ¶ In tàm prolixæ naui-
gationis discursu plurimas ædificauit ciuitates, vt
ex ipsius periplo constat, multique extant populi,
quibus pro eloquio nutus est, alij sine sono linguæ,
alij sine linguis, alij labris etiam cohærentibus, nisi
quod sub naribus fistula est, per quam bibere auẹt,
sed cum incessit libido vescendi, grana singula fru-
gum passim nascentium absorbere dicuntur.

2

3 In insula Gorgonum Diui Thomæ hodie cre-
ditur Mariana lib. 1. cap. 22. fœminas narrat to-
to corpore hirsutas, & sine coitu marium sua spon-
te fœcundas, ex Mela lib. 3 cap. 10. Quarum duas
cutes miraculi gratia inter donaria Iunoni Hanno
suspenderit, quæ durauerunt vsque in tempora ex-
cidij Carthaginensis, ex Plin. d. cap. 31. Mela d.
cap. 10. Marian. d. cap. 22.

4 Catoblepas non grandis fera graui, & pergran-
di capite in lybia gignitur, ob vim singularem re-
ferendam, quod cum impetu morsuque nihil vn-
quam sæuiat, oculos eius vidisse mortiferum, ex
Mela d. cap. 10. Hæc inter alia Hannonis de suæ

nauigationis circuitu periplus continet, cui tantã Incognitus cap. 5. fidem adhibet, vt id longè clarissimum esse securè affirmet.

5 Attamen illarum ciuitatum nec memoria, nec vestigium ad Plinij tempus extabat, vt ipse firmat lib. 5. cap. 1. à Catoblepa interfectorum manes lœtiferum ipsius oculorum intuitum Hannoni reuelarunt: & vt tot populos linguæ instrumento (cuius medio societas stat humana, confusione dissoluitur Genes. 11.) carentes prætercam. ¶ Saltem

6 fœminas illas, quæ absque marium concubitu concipiunt (vt iam Varroni lib. 2. de re rust. ca. 1. Virg. lib. 3. Georg. Silio Italico, lib. 3. Plin. lib. 8. ca. 42. Eduard. Nonio in descriptione Lusitaniæ cap. 29. Fides adhibeatur circa Olisiponem, & Tagum equas fauonio flante obuersas animalem concipere spiritum, idque partum fieri, & gigni pernicissimum) in Batauiam deferẽdas suis Belgico Germanis consulat Incognitus, vt fœcundis marium fœtibus tot hominum millium, quot exitiale bellum in dies absumit, numerum, & defectum suppleat.

7 Sed illud mirabilius triginta millia hominum ad ancipitem, & incognitam nauigationem, & nauibus imponi persuasa, & tot hominum ac commeatus in tantum tempus classem capacem.

8 Sed ratione, & authoritate disseramus. Arrianus in vita Alex. lib. 8. ad fin. ex Gorgonum insula Hannonem in Hispaniam redijsse, commeatus

inopia

inopia longius progredi prohibitum firmat, & ſabulam eſſe ſentit Plin. libr. 5. capit. 1. *Fuere* (ait) *& Hannonis Carthaginenſis commentarij Punicis rebus florentiſsimis, explorare ambitum Africæ iuſsi, quem ſequuti plerique è Græcis, noſtriſque ad alia quædam fabuloſa prodidere*: Democritus in Athenæo ait, *ſi quid horum retulit in ſuos libros Iuba, dignus eſt, quem oblectent libici libri de erroribus Hannonis*, cui paremiæ addit Iſaacus Caſaubonus libr. 3. cap. 7. in Athenæo. *Simile illi, qui bauium non odit, amet tua carmina Mæui*, ex Virg. eglog. 3. & paulò poſt. *Iam olim Carthaginenſes nauigationem in Athlantico Oceano inſtituerunt, & terrarum aliquas plagas multis antea ſæculis incognitas aperuerunt, claſsis præcipuæ dux fuit Hanno è proceribus Carthaginenſium: ſed neque periplus ab illo editus, neque libri de eodem argumento ab alijs confecti fidem apud homines inuenerunt, inde natū prouerbium*. Ita vt veteribus in prouerbialem allegoriam de re palàm abſurda & fictitia Hannonis nauigatio, & periplus vſurparetur. Prodidit enim ſine fundamento, quod ſine fundamento ab antiquis refelli non poterat.

9 Imò qui ex veteribus Africæ ambitum præternauigato Heſperione promontorio luſtratum ab Hannone tradidere, cenſuerunt vtique Africæ excurſionem in Auſtralem polum finiri intra Arctum, vel ſaltem æquatorem, quod & Hanno, & Carthaginenſes perſuadebant:

Nam Plinius eod. loco, quo nauigationis Hannonis meminit, imperuium esse transitum affirmat lib. 2. cap. 67. Sic planè significans bonæ spei promontorium ad sua vsque tempora Incognitum fuisse. Abrahamus quoque Ortelius in Africæ tabula postquam eandem Hannonis nauigationem refert, meridionalis Africæ tractum à Vasco de Gama primo apertum obseruat, quod latius constat ex relatis capit. 4. num. 6. & 7.

10 Sic explicandus est Mela libr. 3. cap. 10. in findum insulas Gorgonum terræ promontorio, cui Hesperion ceras nomen est, finiri tradit: & constat quoniam Hesperion ceras hoc est Hesperi cornu (quo præteruecto Hanno in Orientale Africæ latus deflexit) Ptolomeus lib. 4. de interiori lybiæ situ, capit. 6. decem & tribus gradibus in Arctum iacet, at promontorium bonæ spei tanta in austrum longitudine procurrit, vt Equinoctium superet, & Austrum versus circiter gradus triginta, & quinque ab Equinoctiali plaga dissideat ex Osor. de reb. gestis Emman. lib. 4. pag. 169. Guicciardin. lib. 6. Historiæ Italiæ, & post Hesperionis promontorium (*Cabouerde* ex Molin. tract. 2. disp. 34. Guicciard. d. lib. 6. Mariana lib. 1. cap. 22.) Canarias collocant Solinus cap. 58. & Plin. lib. 6. cap. 31. & 32. constat igitur Hesperion, & promon-

torium

torium bonæ spei multis gradibus, & diuersis sub orbibus inter se distare contra Incognitum.

11 Ex eo autem puto Hannonem deceptum, quia Occidentalis Ethiopia à Gaditano freto in Austrum continuata distenditur, quousque dum quinque tantum ferme gradibus ab Æquinoctiali linea distat, atque deinde in ortum solis inflectitur, & postquam maximo spatio dilatatur, rursus in meridiem bonæque spei promontoriũ procurrit ex Osor. vbi supra: forsitan enim Hanno dũ solis ortum inflexo nauigationis cursu prosequitur, procurrentis promontorij longitudine deterritus, & reuersus (vt prodidit Arrianus vbi supra) existimauit libyam illac Oceano circunfluente finiri, quod ad nominis, & ambitionis gloriam alijs persuadere voluit.

12 Sed post apertas à nostris nauigationes, Gorgonum domus, Hesperidum hortus, & aurea poma, draconisque terribilis custodia, solis currus, crepitantia cymbala, & tympana, auditæque tibiæ sonantes maius humanis, vt referunt Mela libr. 3. capit. 10. Mariana libr. 1. capit. 22. (vagantibus Græciæ fabulis, vt rectè Plinius libr. 5. cap. 5.) agyrtas, & præstigiatores oblectent, quibus Batavi (si seueritatem cum integris lacedæmonijs, cum Priscis Sabinis, cũ laudatissimis Catonibus communem adhuc retinent, vt optat Erasmus Chiliad. 4. cen. 6. c. 35.) aures occludãt, & tãtũ

ex Martiali lib.6.epigram.57.

Horum nequitias, iocosque noscat,
Aurem qui modo non habet Batauam.

Tametsi omnia prædicta re vera extitisse, sed per incantationem, & arte dæmonis velit Torre blanca Villalpando de Magia libr. 2. capit.20. numer.38.& in apologia de los libros de Magia cap.5.a n.53.

13 Similis Eudoxi nauigatio obijcitur(de qua Plinius libr.2.cap.67.Mela lib.3.c.10. Damianus de Goes en la historia del Principe don Iuan, libr. 2. cap.67.) qui cum Lathirum Alexandriæ Regem fugeret, Africam circumnauigauit, cuius nauigationis auspicia qui nænæis delectatur, legat apud Strabonem libr. 2. qui etiam signa nauium ex Hispaniensibus naufragijs agnita eruditè refutat. Pudet namque in his tempus, & membranas consumere. *Hæc igitur* (ait Strabo) *non multum absunt à Pytheæ, Euemeri, & Antiphanis mendacijs: verum hijdem digni sunt venia, quibus idem fuit, quod Præstigiatoribus propositum: demonstratori autem Philosopho, ac non nihil etiam de palma certanti quis ignoscat?* Ergò si ludit Incognitus (sed in re seria immeritò Batauos suos ludit) veniam ex Strabonis sententia meretur; imò & si eadem vt fatetur, credit, maiori cum ratione mihi venia dignus videtur.

Quod

14 Quòd autē ex Cornelij Nepotis relatione Plinius lib. 2. cap. 67. tradit Q. Metello Celeri Caij Afranij in Consulatu collegæ, sed tunc Galliæ Proconsuli, Indos à Rege Sueuorum dono datos, qui ex India commercij causa nauigantes tempestatibus essent in Germaniam abrepti. Ex India Occidentali idest America eiectos fuisse putant doctiores, M. Ludouicus ad Plin. libr. 2. capit. 67. Lucena libr. 10. capit. 22. in vita Xauierij. Suffragantur huic coniecturæ, tùm ipse Nepos, dum de Septentrionali agit, tùm Plinius dùm post prædicta verba, statim transitum de Arctu in Antarticum imperuium esse affirmat.

15 Si autem hi Americi (vt hoc Nepoti, & sequacibus addamus) Indiæ Orientalis notitiam Europæis dederunt, & ob id forsitan Indi Orientales reputati fuerint, nihil mirum cum eo tempore Sinæ vtriusque Indiæ commercij, & nauigationis domini essent, Lucena libr. 1. capit. 13. in vita Xauier. à quibus mores, & originem Indos Occidentales, Iauoenses, & alios Orientales ducere ex ipsorum annalibus pateat, nec color, nec facies discrepent ex Ant. Galuano en los descubrimientos del mundo, Osor. libr. 8. pag. 320. de reb. Emman. Lucena libr. 10. cap. 22. in vita Xauierij, Petrus Bertius in geographia in descriptione Iauæ pag. 611.

16 Et ex eadem ratione probabilissimū mihi vide

 tur

tu, quod Lutius Marineus cap. 16. lib. 19. refert in America numismma nomine Cæsaris Augusti, & imagine signatum repertum, & ab Archiepiscopo Consentino Romam ad summum Pontificẽ missum, vnde ipse deducit ad Americos olim peruenisse Romanos, quod tamen vt figmentum explodunt Iust. Lipsius lib. 2. philosogiæ cap. 19. & Botrel. de præst. reg. Chat. cap. 46. à num. 225. illud ab aliquo impostore proiectum ad illudendos homines fuisse censentes.

17 Ego verò verissimum arbitror Romanos in Americam non peruenisse, vt firmat Alanus Copus Anglus dialog. 6, cap. 9. sed numisma illud per manus Sinarum facillime à Taprobana in Americã Romanorum sæculo deferri potuisse; nam Claudij Principatu Annij Plocamij libertus circa Arabiam nauigans, Aquilonibus raptus decimoquinto die Taprobanes portum inuectus, hospitali regis clementia exceptus detulit inter alia denarios Cæsarum imaginibus signatos, quorum visu maxime Regem delectatum refert Plin. lib. 6. cap. 22.

18 Et anno 1575. à seruis Ioannis de Melo de sancto Pelayo, qui lapides ab ædificiorum ruinis eruebant, inuenta sunt numismata ærea, & aurea Latinis litteris insignita in hunc modum, alijs temporis iniuria corrosis. C. & interiecto spatio. *R. M. N.* ita vt integer titulus legi posset. *Claudius Imperator Romanorum*, ex Lucena lib. 2. cap. 18. in vita Xauierij

potue-

potuere ergo similia Romanorum numismata à mercatoribus Sinis in Sinã, & à Sina in Americã deferri, absque vllo figmento, & sine Romanorũ nauigatione in Americam.

19 Vt tandem ingeniorum in inuestiganda Occidentalium Indorum origine labor, & digladiatio cesset, in quo certamine lapsus mihi longe videtur Borrel. de præst. reg. Cath. cap. 43. à num. 4. qui eos à decem Iudæorum Tribubus (de quibus Esdr. 4. cap. 13.) descendere multis sacræ pag. authoritatibus probare contendit, cum ante Abraham natum terras illas gentibus habitatas ex annalibus cõstare notet Acosta de natura noui orbis lib. 1. c. 23. Ni intolerabilior sit opinio Lipsij in philosog. lib. 2. cap. 19 & lib. 1. de const. cap. 16. qui putat Americos ex Europa, aut Africa per Athlantidem insulam, quæ Asia, & Africa maior erat, ad eam cõtinentem, in qua degunt, peruenisse, ingenti autẽ diluuio Athlantidem vna nocte subuersam pelagus illud cœno, & scopulis innauigabile reliquisse extantibus reliquijs Canarijs, & similibus insulis, ex Platone in Critia, & in Timeo: sed hæc de Athlãtide non nisi pueris, & anibus narrari seriò possunt vt post Procum, Porphyrium, & Originem probat Ioseph. Acosta de nat. noui orbis lib. 1. cap. 22.

21 Et vt ipse Acosta d. lib. 1. cap. 20. & 21. & Petrus Morejon en la persecucion de Iapon. 2. tom. lib. 2. cap. 2. & ante eos plures, quos refert Francis.

Lopez de Gomara, en la historia general de las Indias ca. de Sibola pag. 284. Genebrard. anno 1497. coniectant, probabile est nouum illum orbem nō penitus ab hoc altero diuisum, quin potius aliquā parte, vel hærere, vel non longe disiungi ex parte Sinæ, aut Tartariæ, nec hactenus certo documento patuisse cōtrarium, & illud certum ex Sinis originem ducere, vt num. 15. aduertimus.

22 Eodem modo refellitur Herodoti lib. 4. in Africæ descriptione, historia de Africa à Darij nautis & alijs circumnauigata, quæ maxime mouit Pinedam lib. 4. de rebus Salom. cap. 14. §. 3. num. 1. nā & ipse Herodotus ait, *referentesque apud me fidem non habent, forte apud aliquem alium*, & eas nauigationes fictitias ostendit Strabo lib. 2.

23 Constat ergo ex deductis in hoc, & præcedenti cap. Lusitanos primos Athlantici maris viam in Antarcticum aperuisse, quod si alij (vt hoc Incognito concedamus) olim prænauigato bonæ spei promontorio, dum Orientis incunabula inuestigant, vel naufragio periere, vel monstrorum protentis territi, & procellarum sæuitia fracti sese iterum periculis exponere non sunt ausi, quæ gloria in labyrinthū ingressos à Minotauro interfici? vni Theseo victoriæ palma detur, qui monstro fœliciter interfecto securum sibi, & alijs reddidit aditum. Sic Lusitani despectis Herculis metis, perdomito Oceano, procelloso illo prætergresso pro-

mon-

montorio, non solùm facilem reddiderunt nauigationem, Episcopus Portaleg. dialog. 4. cap. 23. Guicciar. lib. 6. histor. Italicæ, Zuinger. in theatro vitæ humanæ lib. 2. vol. 19. tit. de nautis, sed in Oriẽtis oris domus posuerunt, & plures Reges Imperio suo subegerunt, ex Bosio de sign. Ecclesiæ to. 1. lib. 8. cap. 1. sign. 32. vers. tertium sit nulla, quorum Cathalogus viginti, & octo Reges Lusitaniæ tributarios complectens refertur à P. Antonio Roman. en la historia Oriental ante principium vt eleganter in laudem Lusitanorum cecinerit Georg. Bucanan.

Iamque iugi patiens Indus, nec turpe putaret
A Domino ganges poscere iura Tago.

Et in eundẽ sensum agens de Olysippone inter orbis vrbes Iulius Scaliger.

Cernis vbi aduectus peregrinis flatibus orbis?
Cernis vbi in paruo est India sita sinu?
Pressa maris facies, domita est violentia cæli,
Quid reliqui est, nisi te carpere scepta poli,
Haud potes esse Deus, non vis homo viuere, sors te
Ex homine egressum tertia quando capit?

SVMMARIVM.

Cap. VI.

De potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus.

1 *Monarchia præstantissimum Regimen.*

2 *Deus vnum totius generis humani parentem creauit.*

Monarchia Assiriorum, & Romanorum firmior, & diuturnior.

Seneca damnat imprudentiæ Brutum ob Cæsaris occisionẽ spe libertatis.

Ciuitatis optimus status sub iusto Rege.

3 *Ecclesia militans fundata a Christo Sapientissimo legislatore, & Monarchico regimine.*

4 *Christus in cælum ascensurus reliquit in terris Vicarium.*

5 *Ecclesia, & Christi Vicarius vsque ad finem sæculi durabit.*

6 *Caput Ecclesiæ vniuersale dari oportet.*

7 *Romanus Pontifex perpetuus Christi Vicarius.*

Romani Pontificis successio inuariabilis.

8 *Libertas sine superiore non congruit.*

Ecclesia regi non debuit sine Rectore per communitatem, nec à diuersis capitibus independenter.

9 *Ecclesiæ vnum est corpus.*

Ecclesiæ caput vnicum, non multiplex debet esse.

10 *Potestas Ecclesiastica imperfectè, & perfectè considerari potest: imperfectè in lege naturæ, & scripta nu.* 11.

11 *Po-*

11 *Potestas spiritualis in lege scripta nullum effectum supernaturalem producebat.*

12 *Primogenitus communiter erat Sacerdos in lege scripta.*

13 *Potestas spiritualis perfecta à Christo Domino emanauit, supernaturalesque producit effectus.*

14 *Sacerdotes in omni lege in magno pretio habiti.*

15 *Imperator Roman. solebat vsurpare sibi dignitatem supremi Sacerdotis.*

Sacerdos excellentior Rege in lege naturali, scripta, & gratiæ.

16 *Potestas spiritualis, & temporalis differunt in multis: præcipue ex origine, & fine.*

17 *Potestas omnis à Deo.*

18 *Potestas spiritualis Petro immediatè a Christo Domino concessa.*

19 *Potestas temporalis à Deo immediatè obtenta.*

Regis electio ad populam pertinet.

20 *Potestas spiritualis dirigitur in finem supernaturalem.*

21 *Potestas temporalis tendit in finem naturalem.*

22 *Potestas temporalis suprema directè consideratur.*

23 *Iudex qui principaliter de causa cognoscit, potest cognoscere incidenter.*

24 *Iudex Ecclesiasticus qui principaliter non potest cognoscere de causa profana, potest incidenter.*

25 *Potestas, seu iurisdictio sæcularis indirectè considerata propriè dicitur Ecclesiastica, non sæcularis, & num. 71.*

26 *Potestas Ecclesiastica non expirauit morte Petri, & num. 33.*

27 *Comis-*

27 Comissio nomine proprio directa in dignitatem transit in successorem.

28 Rescriptum contra successorem extenditur in re pertinenti ad dignitatem, licet nomen proprium antecessoris exprimatur.

29 Tutoris obligatio sequitur futurum tutorem.

30 Iuramentum præstitum dignitati transit in successorem super re ad dignitatem pertinenti.

31 Regi sub nomine proprio relictum, debetur successori.

32 Priuilegium Regi nomine proprio concessum transit in successorem.

34 Potestas spiritualis nunquam sæcularibus Principibus competiuit.

35 Ecclesiæ Regimen est supernaturale, neminique conuenit, nisi cui Christus Dominus concessit.

Reges nihil spiritualitatis à Christo consecuti sunt.

Ecclesia esset monstruosa, si tot haberet capita, quot Reges.

36 Potestas Regalis olim non erat cum spirituali coniuncta ex iure diuino, sed ex populi deputatione, fuitque disiuncta tàm apud infideles, quàm apud fideles.

37 Potestas spiritualis superior est temporali.

38 Potestas spiritualis temporali prædominat, velut spiritus carni.

Spiritus potest carni imperare etiam ad vitæ profusionem.

39 Spiritualis potestas comparatur soli, temporalis Lunæ.

40 Soli Luna, & cæteræ stellæ subijciuntur, ab eoque splendorem recipiunt.

41 Pon-

41 Pontifices Romani agnoscunt potestatem Pontificiam in Imperatores, & Reges.

42 Pontifices Romani sunt iudices, & testes integerrimi in asserendo suo Principatu.

Princeps supremus est iudex in sua causa.

43 Princeps supremus est iudex competens in causa suæ dignitatis.

44 Potestatem Pontificis in Imperatores, & Reges firmāt Pontifices, Concilia, Doctores vniuersi, & communis Ecclesiæ consensus.

45 Pontifex Romanus potest procedere contra Reges, & Imperatores, vsque ad depositionem.

46 Princeps tenetur dirigere populum in beatitudinem, qui est vltimus finis.

47 Pontifex Romanus potest impedire, ne hæreticus in Regem, aut Imperatorem eligatur.

Pontifex Romanus aliquando non deponit Regem, aut Imperatorem ex timore malorum.

48 Pontifex Romanus non deponit Regem, aut Imperatorem vt ordinarius iudex, sed vt pastor vniuersalis.

Pontifex Romanus non potest ad libitum Reges deponere, & priuare.

49 Regis, & Imperatoris priuatio in concilio, & sine concilio fieri potest.

50 In primitiua Ecclesia, Reges non deponebātur, & ratio.

51 Pontifex Romanus non potest se subijcere alterius iudicio, nisi arbitrario.

52 Pontifices aliquando iudicati, & depositi à Principibus per vim, & nefas.

53 Pon-

64 Extrauagans vnam sanctam de maioritate.
Clem. meruit de priuilegijs
65 Nutus in superiore significat imperium.
66 Christus non fuit Monarcha temporalis ex aliquorum sententia, fuit tamen ex veriori.
67 Christus non communicauit Petro potestatem excellentiæ.
68 Potestas deponendi Reges in finem supernaturalem, non importat supremam temporalem.
69 Pontifex exercendo indirectè iurisdictionem temporalem, non perturbat potestatem Regis supremam.
70 Iurisdictio penes duos diuersimode existere potest.
71 Imperator magis pendet à Romano Pontifice quam Rex.
72 Barclaius contra Romani Pontificis potestatem temporalem, quibus fundamentis scripsit.
73 Regula cum quid vna via prohibetur explicata, & limitata.
Cui committitur finis, committuntur necessaria ad finem, & num. 82.
74 Ampliatur regula præcedens, quando antecedens est excellentius, & superius.
75 Declaratur reg. cum quid, procedere quando idem consequitur diuersa via.
Pontifex non vsurpat Regnum, nec temporalem supremã deponendo Reges.
76 Barclaij illatio inepta contra Pontificis potestatem.
77 Verba directè, vel indirectè quid significent contra Barclaium.

78 Po-

78 *Potestas spiritualis, & temporalis distinctæ iure diuino, Spiritualis tamen superior est temporali.*

Pontifex Romanus redditurus est rationem pro Regibus, eorumque regiminibus.

79 *Pontifex, & Imperator sunt duo membra, sed ille caput hic brachium.*

Pontifex in capite, Imperator in brachio, vnguntur.

Vnctio Imperatoris quid significet?

30 *Cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi.*

Imperator non recognoscit superiorem in temporalibus, sed in spiritualibus.

81 *Potestas Pontificis temporalis probatur iure diuino.*

Barclaius non negat posse Pontificem vti excommunicatione in Reges, sed negat depositione vti posse.

82 *Vis directiua inefficax, sine coactiua.*

Virga significat coactionem.

83 *Pascendi, corrigendi, ligandi, & similes authoritates sunt generales, & ita comprehendunt etiam Reges.*

Regula generalis cōprehendit etiam personas priuilegiatas.

84 *Fiscus, seu Rex non est priuilegiatus, nisi in casibus iure expressis.*

85 *Ozias Rex lepra percussus, & à Regno eiectus à Sacerdote summo.*

Lex vetus figura nouæ.

Lepra significat hæresim.

86 *Athalia Regina Regno, & vita ob hæresim à sacerdote summo priuata.*

87 *Barclaij error in aßerendo Pontificis potestatem tempora*

pora

poralem non iure diuino, sed opinionibus constare.

88 *Pontifex deponendo Reges non est maior Deo.*

89 *Infideles etiam Reges per baptismum non sunt peioris cō ditionis, quā antea erant quoad temporalia, sed fiunt filij Ecclesiæ.*

90 *Barclaij absurda.*

Potestatis temporalis conseruatio non requirit spiritualiū destructionem.

91 *Abiatharis Sacerdotis depositio per Salomonem non dat potestatem Regi, aut Imperatori contra summū Pōtificē*

92 *Abiathar depositus propter coniurationem.*

Promissiones legis veteris temporales.

Rex in lege veteri excellentior simpliciter Sacerdote.

93 *Aliud est agere de exemptione personarum Ecclesiasticarum, aliud de potestate Pontificis in ordine ad spiritualia.*

94 *Sacerdos in lege veteri poterat deponere Reges, ergo à fortiori in lege gratiæ.*

95 *Pontifex Romanus si sit hæreticus deponi potest ergo, & Rex, & Imperator.*

96 *Regis hæresis magis nocet Ecclesiæ, quam Pontificis Romani.*

Regnum potest priuare Regem tyrannum.

97 *Argumentum de matrimonio ad Regnum refellitur.*

98 *D. Gregorius vocabat se famulum Imperatoris ob humilitatem.*

99 *Imperator est super omnes homines Imperio subiectos, nō vero super Romanum Pōntificem.*

De potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus.

Cap. VI.

1 DE HAC materia, quæ per Oceani nauigationem, & procellas, in quibus versamur, discuti, prout res exigit, non potest, non nullis velificationibus aliquid prælibandum, vt scænæ inseruiamus, oportet.

Ex tribus gubernandi speciebus democratia, Aristocratia, & Monarchia, hoc est populi magnatum, & Regis, Monarchia optimum est, ac præstantissimum regimen iuxta D. Hieronymi sententiam in epistol. 4. ad Rusticum Monachum relatam in capit. in apibus 7. quæst. 1. ibi: *In apibus Princeps vnus est, grues vnam sequuntur ordine litterario: Imperator vnus, iudex vnus Prouinciæ: Roma vt condita est,*

est, duos fratres simul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur, in Rebeccæ vtero Esau, & Iacob bella gessérunt, singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur, docent Arist. lib. 8. Ethic. capit. 10. & libr. 3. polit. capit. 5. Plutarc. in tract. de Monarchia D. August. libr. 2. de ciuit. Dei capit. 21. D. Thom. 1. p. q. 103. art. 3. & de regimine Principis c. 1. cum seqq. Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. c. 1. cũ tribus seqq. Bar. deregimine ciuitatis àn. 6. Corcetus de Regia potestate, p. 5. q. 71. Nauar. in c. nouit, not. 3. numer. 15. & corol. 68. Anton. Perez in Pentateucho fidei lib. 5. de Roman. Pontif. dub. 1. cap. 12. cum seqq. Suar. contra errores Angliæ libr. 3. capit. 10. numer. 23. Cened. ad decretum collect. 10. numer. 1. post plures quos citant.

2 In cuius rei signum Deus Optimus Maximus vnum totius generis humani parentem, & Principem, non duos insimul, aut plures creauit, vt ad propositum expendit D. Chrysostomus, quem refert Bellarm. d. lib. 1. capit. 2. vers. altera ratio, Perez d. cap. 12. num. 65. Vndè ex historijs constat primam Asiriorum Monarchiam, & vltimam Romanorum diuturniorem fuisse, vtiliorem, ac firmiorem, quam gubernationem, quæ per plures magistratus, Princeps, ac Optimates fieri solebat, vt optimè ostẽdit Bellar. d. c. 2. propterea

reà Seneca lib. 2. de beneficijs meritò inuehitur in Brutum, eumque imprudentiæ notat, cum Iuliũ Cæsarem spe libertatis occiderit, illam addens rationem, *cum optimus ciuitatis status sub Rege iusto sit*, & licet aliquando duo Imperatores simul imperauerint, id ad factum, non ad ius referunt glos. in d. ca. in apibus. Tiraq. de primog. q. 17. opinion. 4. n. 20. Pinel. l. 1. C. de bonis maternis 3. p. n. 16. Cou. regula peccatum 2. p. §. 9. n. 5. post alios.

3 Cum ergo Ecclesia militans à Sapientissimo legislatore Christo instituta fuerit, summus enim ille Princeps, qui cœlum, atque terram Imperio sempiterno deuincit, rempub. cœlestem in terris condere cum statuisset, consentaneum fuit post leges latas magistratũ creare, qui ex legum præscripto eandem rempub. temperaret, eleganter Osorius lib. 1. contra Haddonem versic. sed vt aliquid Mo pagin. mihi 87. Optimo ergo, ac proinde Monarchico regimine gubernandam concludunt D. Thom. d. locis, & libr. 4. contra gentiles cap. 76. Turrecremata in summa Ecclesiæ libr. 2. capit. 22. Victoria relect. 1. de potest. Eccles. quæst. 3. numer. 2. Sot. lib. 4. de iustit. quæst. 4. art. 2. Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 9. cum sequentib. Molin. 1. tom. de iustitia disput. 23. Anton. Perez in Pentateucho fidei libr. 5. de Roman. Pontifice dubit. 1. cap. 10. àn. 45. Valentia in analysi fidei lib. 7. c. 8. hinc Oseæ c. 1. dicitur.

Con-

Congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi caput vnum, & Ioe cap. 10. *fiet vnum ouile, & vnus pastor*, Ioan. 10. *fiet vnum ouile, & vnus pastor.*

4 Cum ergo Christus præsentiam corporalem esset Ecclesiæ militanti subtracturus, oportuit vt alicui committeret, qui sui loco vniuersalis Ecclesiæ gereret curã; super Petrum ergo ante passionem Ecclesiã ædificaturum promisit Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum*, & post Resurrectionem, ouium curam eidem demandauit Ioan. vltim. *pasce oues meas*, nullas excludens licet sit Rex, vel Imperator, cap. solitæ de maiorit. Turrecrem. lib. 2. de summa Ecclesiæ cap. 15. Suar. lib. 3. contra errores Angliæ, cap. 10. num. 18. & seqq. & cap. 12. à n. 3. Hier. Alba. de potestate Papæ 2. p. n. 159.

5 Et cum Ecclesia militans vsque ad sæculi finem sit duratura, Lucæ cap. 1. *Cuius Regni non erit finis*, à quo sumpsit Concil. Nicen. & Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem sæculi*, nec peccatorum mole, nec violentijs tyrannorum, nec hæreticorum doctrinis obrui, & corruere poterit Dan. 7. *Regnum eius, quod non corrumpetur*, Matthæi 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Aug. lib. 1. de symb. c. 5. *Ecclesia impugnari potest, expugnari non potest*, Suar. lib. 3. c. 12. n. 7. decens fuit, vt Petro succedat Põtifex summus cũ eadẽ gubernãdi potestate, in quẽ succedaneo ordine potestas illa vniuer-

 salis

salis ordinaria trāsfertur, textus insignis ab Innoc. IIII. in Cōcilio generali editus in c. 1. de homi. lib. 6. Vbi sic Spiritui Sācto, Pontifici, & Patribus visum fuit decernere: *pro humani redemptione generis de summis cœlorum ad ima mundi descendens, & mortem tandem subiens temporalem, Dei Filius Iesus Christus, ne gregē sui pretio sanguinis gloriosi redemptum, ascensurus post resurrectionem ad Patrem, absque pastore desereret, ipsius curā beato Petro Apostolo, vt sua stabilitate fidei cæteros in Christiana religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera suæ accenderet deuotionis ardore, commisit, vnde nos eiusdem Apostoli effecti, disponente Domino licet immeriti successores, & ipsius Redemptoris locum in terris quanquam indigne tenentes*, vbi Abb. post Host. & alios ait, *Christus non fuisset diligens pater famil. nisi aliquem vice ipsius in terris dimisisset, qui in occurrentibus casibus posset ea omnia facere, quæ ipse Christus posset* Optima l. 2. tit. 5. p. 1. in hæc verba. *Conuino por derecha razon, que quando nuestro Señor Iesu Christo subio à los cielos, que san Pedro à quien auia dado la mejoria de los Apostoles, y el poder de absoluer, y de ligar, que fincasse en logar del, para guardar sus mandamientos, è para fazer à los omes que vsassen dellos, è mager la Fè que nos el dio, es muy santa, y muy noble en si: pero tanta es la flaqueza de la naturaleza de los omes en si, que sino ouiere quien los guiasse, è mostrasse la carrera della, podriā errar de manera, que la bondad de la Fè no les ternia prò: onde por esta razon fincò san Pedro en so logar, è despues que el murio, fue menester q̄ ouiesse otros, que tuuiessen*

sen sus vezes, en que fincaße su poder, è este es aquel à quiē llaman Apostolico, ò Papa, vbi Greg. videndus glos. 2.

6 Aliter enim in vna Christi Ecclesia minimè fuisset Monarchiæ cœlestis ratio, sed multorum potestas instituta. Quod igitur fuisset cōcordiæ vinculum, cuius authoritate tempestates sedari, turbulentæ opiniones euelli, superbia, & cōtumacia coerceri, & comprimi potuisset, si nullus in Ecclesia constitutus ab initio fuisset, cuius authoritate, & imperio omnes continerentur? Cum igitur Ecclesia Christi simplex, & vnica sit, & vnica esse non posit, nisi Princeps vnus existat, consequens est dicamus dari in Ecclesia militanti caput, & gubernatorem vniuersalem, vt resoluunt Caiet. de potest. Papæ tract. 1. cap. 4. ad fin. & cap. 12. cum seq. Canus de locis Theologicis lib. 6. cap. 3. concl. 3. Sotus in 4. distinct. 20. quæst. 1. artic. 2. concl. 4. & dist. 24. quæst. 2. art. 5. Alban. de potest. Papæ 2. p. à nu. 155. Anton. Perez in Pentateuch. fidei libr. 5. de Roman. Pontif. cap. 10. num. 49. & 50. Rofensis contra Lutherum art. 25. Costerus in enchyri cap. 4. de summo Pontifice, & alij relati, per Henr. lib. 3. de pœnit. cap. 5. § 5. litera, Y. 8

7 Is autem successor perpetuus quis alius demonstrari potest quam Romanus Antistes? vt ex multis ostendunt Bellarm. libr. 2. de Roman. Pontif. cap. 12. cum sequentib. Suar. lib. 3. contra errores Angliæ cap. 13. cum seqq. & de fide disp. 10. sect. 2. à n. 1.

2.à num. 1. quæ succesſio tot ſæculis continuata à Petro vſque ad Vrbanum VIII. qui glorioſe nũc Eccleſiæ militantis clauum tenet, humano artificio, aut ab homine puro introduci, & progredi non potuit, vt oſtendit P. Zumel. in 1. D. Tho. quæſt. 1. art. 8. quæſt. 2. argument. 11. in id D. Auguſtini teſtimonium adducens profitentis ſe in Eccleſia contineri propter hanc Romanæ ſedis ſucceſsionem inuariabilẽ. Veteres enim illi Irenæus libr. 1. capit. 2. & 3. & libr. 3. cap. 3. Auguſt. epiſt. 165. & Optatus libr. 2. contra Parmen. ad hæreticos refutandos totum ſucceſsionis ordinem in Eccleſia Romana (in qua integra, & pura fides ſemper permanſit, cæteris aliorum Apoſtolorum ſedibus temporis diſcurſu vel extinctis, vel in hæreſim lapſis, notant Bellarm. libr. 4. de verbo Dei cap. 9. ad fin. Cordoua libr. 4. quæſt. 14.) nominatim poſteritati tradiderunt, nec vnquam ſimile ab orbe condito contigit Zumel. d. q. 2. ad 3.

8 Nec expediebat libertas, qua reſpub. ſine Rege regeretur, nauis ſine gubernatore, & nauclero; pecudes abſque paſtore, ſicut homo abſque mẽte, & rationis vſu, nec debuit Eccleſia regi à communitate aliqua, elegãter noſter Oſor. lib. 1. cõtra Haddonem, Perez in Pentateucho fidei lib. 5. dub. 1. c. 10. à n. 45. nec conueniret ſi à diuerſis Principibus indepẽdenter oues Chriſti regerẽtur. Nullo enim modo poſſent in eadem fide, fideique decretis iiſ-

dem

dem conuenire, propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem, vt in vnica sentētia proferenda duorum arbitrorum, etiam expartium placito electorum notauit Vlpianus in l. item si 19. §. fin. ff. de arbitris, l. 1. tit. 1. par. 2. aduertit in proposito Albanus de potestate Papæ 2. p. num. 154. prout experientia docet, prosequitur Suar. libr. 3. contra errores Angliæ cap. 8. à num. 3.

9 Vndè cum tota Ecclesia sit vnum corpus Ioan. 10. & Christiani vnum esse debeant Ioan. 17. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos*, Paul. 1. ad Corinth. *Nunquid Christus est diuisus?* prosequitur Albanus de potestate Papæ 1. p. à n. 16. Oportet si ista vnitas debet conseruari, vt sit aliqua potestas regitiua totius Ecclesiæ D. Thom. ad 3. part. in addit. quæst. 40. artic. 6. Duo ergo capita, pluraue non patitur Christi Regnum, nec fidelium diuersas orbium regiones inhabitantium in vnam fidem, eademque fidei dogmata conspiratio, & vnio, vt obseruat glossa celebris in capit. non autem 7. quæst. 1. laudata à Tiraquello de primog. quæst. 17. opin. 4. num. 21. Nauar. in capit. nouit, notab. 3. numer. 140. Pinel. l. 1. part. 3. numer. 16. C. de bonis matern. Couar. in reg. peccatum 2. p. §. 9. n. 5. vers. 4. & n. 6. Cenedo, & ab eo relati collect. 10. ad decretum n. 2. & licet aliquando oborto scismate ex eligentium vitio duo, pluresve Pontifices extiterint, ipsimet tamē

electi, electores, cæterique fideles vnum tantum esse debere certò sciebant, licet quis ex illis verus esset aliquando ignoraretur, quia licet ius non deficeret, deficiebat tamen probatio argumẽto tex. in l. duo sunt Titij. ff. de testament. tutela.

10 Potestas autem spiritualis duobus modis considerari potest, imperfectè scilicet, & intra terminos naturæ, alio modo perfectè, & supra naturam; priori modo considerata in legẽ naturæ, & positiua reperitur; ante Christi namque legem in omni statu naturæ fuit sacra institutio Sacerdotum, & flaminum. Etenim naturali lumine homines cognoscunt Deum colendum, cum autem omnes hũc diuinum cultum commodè præstare non possint, oportebat aliquos deputari ministros, quibus diuinorum cura committeretur, & cum ea cura sine aliqua potestate rectè geri non posset, sequitur in lege naturæ aliquam spiritualem potestatem reperiri, quæ etiam reperitur apud omnes fermè gentes, quæ sunt extra Ecclesiam, & Sacerdotes, ac Põtifices instituunt cum aliqua potestate, & licet in falsos Deos illam constituant, potuere tamen ad veri Dei cultum illos deputare, iuxta illud D. Pauli ad Rom. 1. *Eò quòd cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt*, Victor. de potest. Ecclesi. 1. p. quæst. 3. num. 3. & 2. p. in princip. num. 1. Sot. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. ad finem. Ledesma 2. part. quæst. 21. articul. 1. fol. 207. Girald.

rald. ſyntagm. 17. de ſacrificijs.

11 Similis erat poteſtas ſpiritualis in lege diuina veteri, de qua Exod. 29. Leuit. 2. & 6. licet enim à Deo data fuerit, nihil ſupra naturam continebat, nec effectum aliquem ſpiritualem producebat, vt conſtat ex D. Paulo ad Rom. cap. 3. obſeruāt Victoria de poteſt. Eccleſ. 1. p. quæſt. 3. num. 6. & 2. par. in princip. num. 3. Cord. lib. 4. quæſt. 4. ad 4. & q. 5. art. 2. ad vltim. Sot. d. art. 3. concl. 1. Henriq. de Sacram. lib. 1. c. 13. §. 5. Suar. lib. 3. de Primatu Pontificis Romani cap. 9. num. 4.

12 Apud fideles verò in ſtatu naturæ primogenitus communiter erat Sacerdos, vt Melchiſedech. Gen. 14. Henriq. poſt plures lib. 1. de Miſſa c. 1. §. 1. & cap. 10. §. 4. liter. H. Suarez d. cap. 9. numer. 2. refertur in cap. cum ad verum verſ. ad verum 96. diſtinct.

13 Secundo autem modo conſiderata poteſtas ſpiritualis hoc eſt perfectè, & ſupra naturam, à Chriſto Domino emanauit Matth. 16. & 18. Ioan. 17. Lucæ 22. Paul. ad Hæbreos 7. vt ſupra oſtendimus, ſuperque naturales effectus producit Sot. Cordoua, Victoria & Henriq. dictis locis, Pelag. de planctu Eccleſ. lib. 1. art. 16. Simanc. de Catholicis cap. 44. numer. 4. Catherinus in ſpeculo hæreſ, conſiderat. 3.

14 Hi autem Sacerdotes propter finem, ad quem deputati erant, in magno pretio, & honore in omni

ni

ni repub.ſemper habiti ſunt, ſic ab Ægyptijs, qui creati erant, Geneſ.41.alebantur, & à tributis erāt exempti, Geneſ.47. Is autem honos præcipuè ſummo Sacerdoti, ſeu Pontifici deferebatur, ex Feneſtella de Sacerdotibus Roman.cap.5. Agellio lib. 10 cap.15. Plutarc. problem. 42. & 48. Alex. ab Alex. dierum genial. lib. 2. cap. 8. elegantius Tullius in exordio pro domo ſua ad Pontifices, *quod ſi vllo tempore magna cauſa in Sacerdotum populi Romani iudicio, ac poteſtate verſata eſt, hæc profectò tanta eſt, vt omnis reipub. dignitas, omnium ciuium ſalus, vita, libertas, aræ, foci, Dij Penates, bona fortunæ, domicilia veſtræ ſapientiæ, fidei, poteſtatique commiſſa, & credita eſſe videbantur.*

15 Propterea Summi Pontificis, ſeu Archiflaminis dignitatem Romanus Imperator ſibi vſurpabat, vt apud Onufrium, & Imperatorum ſcriptores, cap. cleros, verſ. Pontifex, 21. diſt. ibi: *Antea autem qui Reges erant, & Pontifices erant, nam maiorum hæc erat conſuetūdo, vt Rex eſſet etiam Sacerdos, & Pontifex; Vnde & Romani Imperatores Pontifices dicebantur*, qui Pontificiam maieſtati Imperatoriæ dignitatē præferebant, vt conſtat ex titulo, qui ſic erat, *Auguſtus Pontifex Imperator*, & in lege veteri, Leuit.4. ſacrificium pro Pōtifice prius, quam pro Rege offerebatur, & Num.27. Princeps ſupremus verbo Sacerdotis in ſacrificijs obedire iubetur, quod maiori cū ratione in lege gratiæ reſoluendum eſt, cum Pon-

tifex

tifex summus, Sacerdotesque altioris sint gradus, & excellentiæ, Viues lib. 8. de ciuitate Dei cap. 19. ad finem, Bellarm. lib. 2. de Roma. Pontif. cap. 29. ad 4. Suar. lib 3. contra Angliæ errores capit. 26. post plures, quos citant.

16 Licet autem potestas spiritualis seu Ecclesiastica, & temporalis, laica seu politica in multis differant, cap. quoniam 10 dist. cap. duo sunt 96. dist. c. solitæ de maioritat. cum alijs, prosequuntur Nau. in cap. nouit. notab. 3. n. 88. Molin. 1 tom. de iustitia tract. 2. disp. 21. col. 8. vers. habemus; in duobus tamen maxime discriminantur, scilicet in causa efficiente, & fine.

17 Quanquam enim omnis potestas tam spiritualis, quam temporalis à Deo sit, iuxta illud D. Pauli ad Rom. cap. 13. *Non est potestas, nisi à Deo*, & illud Ioan. 19. *Non haberes potestatem in me vllam, nisi esset tibi datum desuper*, vtrumque refertur à Gratiano in cap. mouet §. sic etiam vers. sed sciẽdum 22. quæst. 1. cum alijs, Bellarm. de laicis c. 6. Molin. de iust. tract. 2. disp. 27. Suarez lib. 3. contra errores Angliæ, cap. 1. à num. 6.

18 Nihilominus tamen potestas spiritualis, siue Ecclesiastica, & suprema Ecclesiæ vniuersalis administratio soli Petro, eiusque successoribus Romanis Pontificibus à Christo immediate concessa fuit per illa verba, *pasce oues meas*, & Matth. 16. & 18. *Tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcumque ligaueris*

ris super terram, erit ligatum, & in cælis, prout supra deduximus, vt à D. Petro, & successoribus velut à capite in Episcopos, & alios Ecclesiæ Prælatos, velut in membra immediatè diriuetur, Leo primus de ordinatione Petri serm. 3. *Non nisi per Petrum cæteris dedit, quidquid cum alijs voluit esse commune*, & epistol. 87. in c. ita Dominus 19. dist. *Huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officiũ pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omniũ summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodã capite dona sua velut in corpus omne diffunderet*. Vbi Turrecrem. & alij Couar. pract. cap. 1. numer. 2. Nauar. glos. 1. in princ. num. 13. de pœnit. distinct. 5. & in capit. nouit not. 3. à numer. 81. de iudicijs, Bursat. cons. 125. à num. 49. volum. 1. omnino videndus; nam multis authoritatibus à Christo Domino vsque ad Concilium Florentinum celebratum anno Domini 1439. id euidenter probat, docet & Caietan. de potestate Papæ capit. 19. Bellarm. libr. 4. de Roman. Pontif. à cap. 9. cap. 22. & à cap. 24. Molin. de iust. disput. 21. Suar. contra errores Angliæ lib. 3. cap. 6. n. 17. Perez libr. 5. Pentateuch. dub. 2. cap. 11. num. 78. vbi ex D. Chrysostomo aduertit, quod Christus Petrum personaliter allocutus, nõ alios Apostolos, cum pascendi officium ei contulit. Excelluit enim Petrus multis præ cæteris Apostolis, vt prosequuntur Rofens. contra Lutherum art. 25. Bellarm. de Roman. Pontif. lib. 1. à cap. 17.

vsque

vſque ad cap. 24. Suar. lib. 3. contra ſectas Angliæ cap. 10. à num. 2. Valentia lib. 7. Analyſis de fide cap. 2. cum ſeqq. ob quas prærogatiuas Primatum ſibi, & ſucceſſoribus inter reliquos obtinuit, vt benè docent præcitati Doctores, & paſsim alij.

19 At verò poteſtas temporalis, ſeu politica Regi, aut Principi reip. à Deo tanquàm naturæ auctore mediante lumine naturali, rei publicæ electione, ſeu tranſlatione conceſſa fuit, vt cum reſp. non poſſet per ſe ipſam hanc poteſtatem exercere; attento, & cogente naturæ iure, in vnum, vel plures conferre eam tenebatur, eamque tranſtulit in Principem, l. 1. ff. de conſtit. Princip. vt ab illo tanquam à fonte in reliquos inferiores reip. magiſtratus dimanaret cap. cum ad verum 96. diſtinctione capit. ſolitæ de maioritate, reſoluunt poſt alios Auendañ. libr. 1. de exequend. capit. 1. numer. 6. verſ. ſicut, Couar. pract. cap. 1. num. 6. Nauar. cap. nouit notab. 3. num. 85. Molin. diſput. 26. Suar. lib. 3. de Primatu Rom. Pontif. cap. 2. cap. 3. cap. 6. n. 17. & licet aliquando ex ſpeciali priuilegio non nulli Reges in lege ſcripta à Deo immediate electi fuerint, vt de Dauid tenet Sot. lib. 4. de iuſt. q. 2. art. 1. de Saule, & Dauid Abulenſis 1. reg. c. 11. q. 22. cum ſeqq. Nau. in c. nouit not. 3. n. 33. & 147. hoc tamẽ priuilegiũ alijs nõ cõuenit, nec cõceſsũ reperitur ex Suar. lib. 3. c. 3. n. 10. & probatur ex illa ſpeciali Deu. 17. prohibi-

hibitione, *non poteris alterius gentis hominem Regem facere*; ergo ad populum Regis electio pertinebat, imò prædictos Reges ex nutu, & voluntate Dei designatos fuisse, electos verò immediatè à populo contendit Suarez d. cap. 10. à num. 5. post Bellarm, quem citat.

20 Differunt quoque, & præcipuè ex fine, in quem vtraque potestas principaliter dirigitur. Etenim Ecclesiastica, seu spiritualis in finem supernaturalem, & media eidem conuenientia, vt benè viuamus in spiritualibus quo ad animum, & vitã æternam, ordinatur, iuxta illud Pauli ad Ephes. 4. *ad cõsummationẽ sanctorum*, & ad Hebræos 13. *Obedite præpositis vestris: ipsi enim peruigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri*, capit. cum ad verum, ibi: *Vt Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent*, cap. duo sunt 96. dist. vbi Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem, *in quibus tantum grauius pondus est Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino sunt reddituri examine rationem.*

21 Per cõtrarium verò politica, seu temporalis in finem naturalem, & media eidem accommodata, vt benè viuamus in naturalibus, & externis, principaliter dirigitur, & instituta est, iuxta illud Pauli ad Timoth. 2. *vt quietã, & tranquillã vitã agamus*, cap. quoniam 10. distinct. d. cap. cum ad verum d. cap. duo sunt, obseruant Nauar. in cap. nouit not. 3. num. 88. de iudicijs, Moli. de iust. tom. 1. tract.

2. disp.

2.disput.21.column.8.vers.habemus, Suar. libr.3. contra errores Angliæ cap.6.num.17. quoniam cum in homine duplex vita consideretur corporalis scilicet,& spiritualis, Paul.2.Corinth.4.

Quemadmodum ad conseruationem vitæ corporalis necessaria fuit tẽporalis potestas, sic ad cõseruationem vitæ spiritualis necessaria etiam fuit aliqua potestas, qua homines in bonum spirituale dirigantur,& eò maior fuit huius potestatis necessitas, quò vita spiritualis temporali excellẽtior est, obseruant nouiores vbi supra.

22 Duobus autem modis potest haberi,& considerari suprema potestas, seu iurisdictio sæcularis, vel enim habetur directè, seu principaliter, vel rursus indirectè,& minus principaliter: primo modo haberi dicitur, vbi de illa agitur ad suum finem naturalem, seu temporalem, in quem principaliter, & directè instituta est, & in quem Regibus, & Imperatoribus, à Deo mediante lumine naturali concessa est. Posteriori verò modo, quoties habetur eadem potestas, & exercetur, non in eiusmodi finem, sed in diuersum, in quem incidentur ex accidenti in aliquo casu ordinatur, & dirigitur, vt colliges ex capit. Per venerabilem versic. rationibus, qui filij sint legitimi, ibi: *Super quo* (scilicet Ecclesiæ patrimonio) *plenam in temporalibus gerimus potestatem*, & ibi, *in alijs regionibus certis causis inspectis temporalem iurisdictionem casualiter exercemus,*

cemus, quasi illud prius denotet temporalem potestatem principaliter,& directè habitã,hoc vero minus principaliter,incidenter,& indirecte exercitã.

23 Sic similiter qui principaliter de causa cognoscere nõ potest,de ea incidenter cognoscere potest l.1.C.de ordine iudic.in hæc verba. *Neque enim impedit notionem eius,quòd status quæstio in cognitionem vertitur,& si super status causa cognoscere non possit: pertinet enim ad officium iudicis,qui de hæreditate cognoscit, vniuersam incidentem quæstionem, quæ in iudiciũ deuocatur, examinare*,c.pen.de in integ.rest.ibi: *De hac causa cognoscere nequeunt,nisi coram eis mota fuerit incidẽter*,l.quoties.C.de iudicijs,iunctis resolutis ad illius intellectum per Goueanum lib.1.var.c.33. Rober.libr.3. sententiarũ c.12. Ant.Fab,lib.17.coniect.c.8. Donel.lib.17.comment.c.9.vbi Osuald.littera Y.

24 Sic iudex Ecclesiasticus,qui principaliter nõ potest cognoscere de causa tẽporali,seu profana cap. causam quæ 2.ibi: *Ad Regẽ pertinet, non ad Ecclesiã de talibus possessionibus iudicare*,qui filij sint legitimi cap. nouit in pr.vers.Nõ enim de iudicijs,potest nihilominus eãdẽ decidere,si incidat in Ecclesiasticã,quæ apud illum principaliter agitatur, cap.3.de donat. inter virum,vbi glos.2.& omnes ibi, Bald. num.1. & additio in d.l.quoties,Palacius in repet.cap. notab.2.à princip. Tiraq.tract.res inter alios nu. 16. Molin.lib.2.cap.15.num.76.

25 Quamuis autẽ posteriori modo acepta iurisdictio

ctio sæcularis, quasi ab obiecto attẽta materia, & re bus, circa quas versatur, lato modo, & velut materialiter, iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. quæstion. 18. artic. 6. in corpore ad finem, haberi, & exerceri dicatur temporaliter d. c. per venerabilẽ, ibi: *Temporalem exercemus.* Quia tamen actus nostri potius à fine, & causa faciẽdi, quam à facto, & rebus ipsis speciem, & nomen formaliter accipiunt, l. verum 40. ibi: *Nec enim factum quæritur, sed causa faciendi.* ff. de furtis, c. cum voluntate 54. in princ. vbi scribentes, de sententia excommun. D. Thom. vbi supr. post Arist. & quæst. 1. artic. 3. planè sequitur attẽto eiusmodi fine, strictè, & propriè loquendo, quod talis iurisdictio posteriori modo accepta, nec existit, nec dicitur simpliciter temporalis, sed magis illa diuersa, quæ est finis, & causa faciendi, idest causa agendi sic de temporalibus, ita vt in rigore disputationis ea, in cuius finem agitur, & res ipsæ temporales ordinantur, & haberi, & exerceri dicatur, & ita Pontifex non habet potestatem temporalem, sed potius potestatem in temporalibus Bellarmin. aduersus Barclaium cap. 12. §. 3.

26 Ex his, quæ breuiter præstringimus, omnia quæ contra Romani Pontificis potestatem, tàm circa spiritualia, quàm temporalia obijci solent, facilè refutari possunt, & quanquã plures, & doctissimi hanc prouinciam fœliciter aggressi sint, nõ nulla tamen ex illorum scriptis mutuabimur, ne asym-

bæli videamur, & ita primò infertur potestatem spiritualem, seu Ecclesiasticam, quam Christus Dominus in lege gratiæ Petro cõcessit, eius morte non expirasse, sed in futuros Pontifices Romanos trãslatam. Quamuis enim Christus Dominus nomine proprio Simonem Barjona allocutus fuisset, attamen cum Ecclesiam suam, quæ perpetuo duratura erat, vt probatum est nume. 5. super eum ædificaturum promisisset, Matth. 16. & oues ei cõmendasset, Ioan. vltim. & ita non tantum præsentes, quæ perpaucæ erant, sed & futuras, consequens est dicamus in successores transijsse.

27 Receptum namque est, quod quoties ex materia subiecta, intentione, aut alijs circunstantijs cõstat commissionem dirigi in dignitatem, licet personæ nomen proprium exprimatur, ad successorem in dignitate transibit, resoluunt Doctores cõmuniter ex Decio num. 3. vers. & idem, aliàs num. 38. Bero. à n. 82. in cap. quoniam Abb. de officio deleg. Couar. c. requisijsti n. 1. de testam. Menoch. lib. 1. de arb. q. 68. n. 20. Barbos. l. quia tale 14. n. 41. solut. matrim. 2. tom. Sanchez libr. 8. de matrim. disp. 27. num. 2.

28 Hinc fit rescriptum contra successorẽ extendi in re pertinenti ad dignitatem, licet nomen proprium antecessoris exprimatur cap. dilecti de foro cõpet. vbi glos. 1. Abb. not. 2. Decius vbi proximè Couar. n 4. vers. sexta in d. cap. requisijsti.

Hinc

29 Hinc deducitur obligationem tutoris proprio nomine, non illum finita tutela, sed futurum tutorem sequi, l. post mortem. §. 1. ff. quando ex facto tutoris, vbi notat Bart. & alij, Boer. decis. 273. post alios.

30 Hinc iuramentum præstitum dignitatem habẽti super re, quæ non ad personam, sed ad dignitatẽ spectat, transit in successorem, tametsi sub nomine proprio personæ iuratum sit, capit. veritatis 14. de iure iurando, vt contra alios optimè resoluit Couar. vbi proximè.

31 Hinc relictum Regi sub nomine proprio successori debetur, l. quod Principi 58. ff. de leg. 2. vbi Cuman. & alij, Corras. lib. 3. Miscel. c. 19. n. 2. Cabed. lib. 4. diuers. c. 20. à n. 8.

32 Hinc tandem euenit, quod priuilegia à Sede Apostolica Regi nomine proprio expresso concessa competere æquè successoribus, ex traditis per Cabed. vbi proximè.

23 Indeque prouenit potestatem, & iurisdictionẽ Petro traditam, cum in Ecclesiæ vtilitatem fuisset instituta, in futuros Petri successores transijsse, c. 1. de translat. Episcop. ibi: *Ex illo generali priuilegio, quod beato Petro, & per eum Ecclesiæ Rom. Dominus noster indulsit, &c.* vbi Ant. nu. 3. & alij latè prosequũtur Bellar. lib. 2. de Rom. Põt. ca. 12. cũ seqq. Valent. in Analysi Fidei lib. 7. c. 10. & 11. Perez in Pentateuc. Fidei lib. 5. de Rom. Pont. dub. 2. c. 1. cũ seqq. Suar.

contra sectas Angliæ libr. 3. de Primatu Romani Pontificis cap. 12. cum sequentib. Nicolaus de Feteaut Dominicanus de sacra Monarch. Ecclesiæ lib. 4. cap. 6.

34 Secundò consequens est spiritualem, seu Ecclesiasticam potestatem, quam Christus Dominus in lege gratiæ Petro, eiusque successoribus concessit, nusquam laicis Principibus, aut Reipublicæ sæculari fuisse communicatam, sed magis denegatam, vt satis deducitur ex cap. cum ad verũ 96. distinct. ibi: *Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent*, & ibi, *non ille* (Imperator) *rebus diuinis præsidere videretur*, cap. 1. 63. dist. ex Adriano, *laici Principes in Ecclesiasticis rebus nullam habent potestatem*, cap. omnis eadem dist. cap. solitæ de maioritate. *Imperator præcedat in temporalibus, Pontifex in spiritualibus*, cum alijs & ex illo Act. 20. *quos* (Episcopos) *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, resoluunt Almain. de potestat. Ecclesiæ cap. 3. Driedon. lib. 2. de libert. Christiana cap. 2. col. 4. Couar. pract. cap. 31. num. 2. cõcl. 1. Victoria de potestate ciuili ante fin. Bursat. consil. 125. num. 45. vers. Ioan. 22. & ex Patribus Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 7. Suar. cõtra errores Angliæ lib. 3. de Primatu Roman. Pontif. cap. 7. cum duobus seqq.

35 Et probatur quia, vt supra resoluimus, regimen Ecclesiæ est supernaturale, & per consequens nemini debet conuenire, nisi cui Christus Dominus illud

illud commiserit, commisit autem Petro, non Imperatori, aut Regibus, obseruāt Bellarm. d. ca. 7. vers. prima, D. Thom. lib. 1. de regim. Principū cap. 14. Suar. d. cap. 7. num. 5. & cap. 8. n. 2. Octauiano enim Cæsari Imperium tantum reliquit tēporale, D. Thom. lib. 3. de regimine Principis cap. 8. Nauar. in capit. nouit notab. 3. num. 72. In cuius veritatis efficax argumentum doctè annotat Sanderus de visibili Monarchia lib. 2. capit. 3. pag. 69. Diuina propterea prouidentia fuisse salubriter prouisum; ne à principio nascentis Ecclesiæ Euangelicæ per aliquot sæcula vlli Reges fierent Christiani, vt ita constaret apertius Ecclesiam, quādo sub Petro Apostolisq; & post Apostolos sub eorum successoribus fuit perfectissimè gubernata, omni caruisse Principe terreno, apud quem spiritualis potestas gubernandi, vel tota, vel pars aliqua Ecclesiæ diceretur residere: sicque in æternum potuisse carere, nisi quod nec illos ab æterna penitus sua redemptione excludi voluit; atque adeò intelligerēt omnes nihil in hac parte datum esse Regibus, eò quòd Reges sint: nisi sit dicendum quando Ecclesia Regibus caruit Christianis, & vbique vixit sub ethnicis Principibus, caruisse prorsus gubernatione Ecclesiastica, quod planè est contra fidem, & contra Christi promissionem, essetque monstruosum tot capitibus constare Ecclesiam, quot Reges Christianos haberet contra Christi institutionem

ſub vno paſtore, Ioan. 10. Intrauerunt ergo Reges, & Imperatores in Eccleſiam Chriſti ſuo tempore ſed aut nihil vnquam ſibi circa res Eccleſiaſticas arrogarunt, aut ob eam rem tyranni, & perſecutores potius habiti ſunt, quam nutritij, & cultores Eccleſiæ cuius modi eos debere eſſe Iſaias prædixit c. 49.

36 Nec obſtat, quòd in lege naturæ (vt n. 2. & 15. oſtendimus) poteſtas regalis cum ſpirituali coniuncta erat, ergò hoc ius naturæ manet integrum in lege gratiæ. Reſpondetur namque has duas poteſtates non eſſe coniunctas de iure naturæ, ſed ex reip. diſpoſitione eã deputationem tunc temporis pendiſſe; ſic Imperatores Romani non ſemper erãt Põtifices ſummi, & Regibus eiectis cõſtitutus eſt ſummus Pontifex, apud Romanos, abſque vlla Regia dignitate, quæ apud ſenatum manſit, vt conſtat ex Liuio, & alijs, & in lege veteri diuiſa ſunt officia, vt conſtat ex 2. Paralip. c. 19. *Amarias*, inquit Ioſaphat Rex optimus, *Sacerdos, & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: Porrò Zabadias ſuper ea opera erit, que ad Regis officium pertinent*, & 2. Paralipom. 26. Ozias Rex, quia in Sacerdotis officiũ ingerere ſe voluit, continuo grauiſsima lepra diuinitus percuſſus eſt, & Saul eãdẽ ob cauſam à Deo reiectus, & Regno priuatus eſt 1. Reg. c. 13. aduertit Becca. 2. tom. opuſc. 11. lib. 1. de triplici ſacrificio c. 8. Ergo in lege gratiæ mutari potuit, diuidi, & diſtingui, prout diſtinctas teſtatur Nicolaus Papa ad Michaelem Im-

pera

peratorē in c. cū ad verum, ibi: *Idē Mediator Dei, & hominū homo Iesus Christus actibus proprijs, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit*, & meritò cū munera Sacerdotū nouæ legis sint augustiora, vt in proposito obseruāt Bellar. lib. 1. de Rom. Pōt. ca. 7. col. 3. ad fin. Sua. li. 3. de Primat. Ro. Pon. c. 9. à n. 3.

37 Tertiò deducitur potestatem Ecclesiasticam, seu spiritualem superiorem esse politicæ, seu temporali. Cum enim eius finis sit æterna beatitudo, & omnia temporalia vltimo fine ad illam dirigantur, Plato lib. 1. de legibus, *oportet*, inquit, *vt legislator eum ordinem sequatur, vt humana ad diuina vbique referantur*, D. Augustin. de ciuitat. Dei libr. 19. capit. 17. Bellarm. libr. 5. de Rom. Pont. c. 7. rat. 1. & spiritualis potestas dirigat principaliter in illum finem, vt supra num. 20. probatum est: & omnis ars, seu potentia, ad quam directè pertinet finis, potest disponere de his, quæ sunt ad finem, vt cum Philosopho. 1. Ethicorū cap. 1. docet D. Thom. 2. 2. quæst. 40. artic. 2. ad 3. vt infra latius; consequitur temporalem potestatem inferiorem esse spirituali, & subordinatam. Nam sicut ars frænifactiua, vel nauisfactiua inferior est respectu artis equestris, seu nauigatoriæ, ad quam ordinatur, ex Arist. d. cap. 1. sic potestas temporalis inferior est potestate Ecclesiastica, Victoria de potest. Eccles. 1. p. quæst. vtrū spiritualis potestas sit supra ciuilē, num. 10. sed harum artium exemplum omnino nō

quadrat

quadrat, quia si superiores illæ artes non essent, cessarent & inferiores, quæ ratio nō militat in prædictis potestatibus, quoniam non ita pendet temporalis ab spirituali, vt cessante hac cesset & illa, vt patet in infidelibus, apud quos est vera potestas tēporalis, de quo infra. Et tamen sine ordine ad aliquam veram potestatem spiritualem, quælibet reperiri potest, prout aduertunt Victor. sup. num. 9. Bellarm. lib. 5. de Roman. Pont. cap. 6. vers. at hæc, Molin. 1. tom. tract. 2. de iust. disp. 29. col. 14. vers. illud: ego aduerto supposita vtraque potestate optime exemplum conuenire.

38 At aptius quadrat exemplum, quòd terrestre Regnum ordinatur, vt cœlesti famuletur eodem modo, quo in homine caro spiritui subest. Licet enim vtriusque diuersa sint officia, & actiones; quia tamen in nobis vnam efficiunt hypostasin, ita cōueniunt, & coniunguntur, vt animus præsit, caro autem subijciatur. Ita & in Ecclesia Dei hæ duæ potestates vnam rempublicam, vnum Regnū & vnum corpus efficiunt, ad Roman. 12. *Vnum enim sumus corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Et licet plerumque spiritus non immisceat se carnis actionibus, eamque suas actiones exercere sinat; verum si incipiant spiritus fini officere, poterit animus iure suo carnem cohibere, ieiunia, aliosque labores indicere etiam cum detrimento, & debilitate ipsius corporis, ne impediat munera spiritus,

ritus, & si opus fuerit ad finem ipsius spiritus consequendum, poterit carni imperare, vt se suaque omnia exponat etiam cum detrimento vitæ, ita post Gregor. Nazianz. statim citandũ. D. Thom. de regimine Principis, lib. 1. cap. 14. & lib. 3. cap. 10. cum seqq. Turrecrem. lib. 2. in summa ca. 113. Sot. in 4. dist. 25. q. 2. art. 5. & lib. 4. de iust. quæst. 5. art. 4. Bellarm. de Roman. Pontif. cap. 6. 7. & 8. Et de potestate summi Pontificis in rebus temporalibus cap. 13. ad finem, Suar. lib. 3. de Primatu Rom. Pontif. cap. 21. 22. & 23. post infinitos, quos citãt.

39 Et in hunc sensum dum Innocent. 3. in cap. solitæ vers. præterea de maioritate, comparat Ecclesiasticam potestatem Soli, laicam vero Lunæ, non solum est intelligendus quasi velit, quod sicut Sol est luminare maius, cuius lumen & splendor in multis excedit lumen Lunæ, quæ minus luminare dicitur, sic se habet, & vt maior, & excellentior excedit potestas Ecclesiastica respectu sæcularis, ex gloss. vlt. in cap. duo sunt. 96. dist. Nauar. in ca. nouit. notab. 3. num. 125. de iudiciis, sed etiam quia sicut Luna accipit, & mutuatur claritatem à Sole, quasi à fonte totius luminis ex D. Thom. 2. 2. q. 47. art. 5. ad 2. & quæst. 58. art. 6. in corpore, sic laica potestas ab Ecclesiastica, vel Rex aut Imperator à Pontifice Maximo accipiat, & mutuetur claritatem, & splendorem spiritualem, & ad hanc illuminationem, & eleuationem dirigi ab eodẽ, & cogi

posit,

posſit, quemadmodum naturalem illam ſolis influentiam Luna declinare non poterit.

40 Neque ſolùm Luna, ſed omnes etiam ſtellæ ſubijciuntur Soli, quoniam ab illo lumen recipiunt; inde rectè Tullius in ſomnio Scipionis, *dux eſt de* Sole loquẽs, *& princeps, & moderator luminũ reliquorũ*. Sol autem non ſubijcitur Lunæ, ita quoque Rex Pontifici ſubijcitur, non Pontifex Regi Bellarm. lib. 5. de Roman. Pontif. cap. 6. & de poteſt. ſummi Pontif. in rebus temporalibus capit. 13. ad finem.

41 Atque ita hanc in Reges, & Imperatores poteſtatem Pontificis agnoſcunt Gelaſ. Papa ad Anaſtaſium Imperatorem in cap. duo ſunt 96. diſt. ibi: *Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam poſſe redigi voluntatem*, idem Gelaſius ad Epiſcopos Orientales in capit. nunquam 96. diſt. ibi: *Obſequi ſolere Principes Chriſtianos decretis Eccleſiæ, non ſuam præponere poteſtatem : Epiſcopis caput ſubdere Principem ſolitum*, Ioan. Papa in cap. ſi Imperator eadem diſt. ibi: *Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſæculi poteſtates, quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubiectas.* Atque ita Reges Chriſtiani non ſolum quoad perſonas, ſed etiam quoad dignitatem Pontificis poteſtati ſubijciuntur, Nicolaus cap. cum ad verum, ibi: *Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent*, Gelaſius cap. duo ſunt, ibi: *Quantò pro ipſis regimi-*

giminibus aliàs Regibus hominum in diuino sunt reddituri examine rationem, & de omnibus fidelibus dixerat Apostolus ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri*, & D. Gregor. Nazianze. in oratione ad ciues timore perculsos, alloquens Imperatores. *An me libere loquẽtem æquo animo feretis? Nam vos quoque potestati meæ, meisque subsellijs lex Christi subijcit: Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo etiam præstantius, ac perfectius, nisi verum æquum est spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere*, cap. suscipitis dist. 10. prosequuntur D. Thom. si is est lib. 1. de regimine Principis cap. 14. & lib: 3. cap. 10. cũ seqq. Bellarm. de translat. Imperij lib. 1. cap. 2. ad 7. mendacium, Suar. lib. 3. de Primatu Roman. Pontif. c. 22. à n. 1. & cæteri præcitati.

42 Nec obstat neminem in sua causa posse esse iudicem, aut testem, iuxta illud Ioan. 5. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verũ*, l. nullus. ff. de test. tit. C. ne quis in re sua ius sibi dicat, & ita in asserẽdo suo Primatu, & potestate in Principes Pontifici non esse credendum nouatores affirmant: sed facilè exploditur obiectio, tùm quia Princeps supremus in sua causa iudex esse potest. cap. cum venissent de iudicijs, vbi glos. recepta ibi per Abbat. & Decium num. 5. alias à nu. 30. & omnes, l. & hoc Titus, vbi Bar. & omnes, l. proximè. ff. de his, quæ in testam. delentur, ubi Bart. & omnes

omnes Ias.num.5.in l.est receptum.ff.de iurisdict. Bernard.& additio regul.581.& relati per Duen. reg.67.& in nostra specie Naua.cap. nouit notab. 3.num.47.Bellarm.de Roman.Pontif. lib. 2.cap. 14.Anton.Perez in Pentateuch.fidei lib.5.dub.5. cap.5.num.97.Suar.contra Angliæ errores libr. 3.cap.16.n.3.& lib.4.cap.2.n.6.

43 Quæ doctrina est indubitata,quando agitur nō de rebus personæ,sed dignitatis,in qua etiam inferior iudex esse potest,glossa,verbo, *priuetur*, in c.si quis erga 2.q.7.celebris ex Innoc.Abbate, & alijs in cap.nosti de electione, Alex. cons. 79. num.2. vol.1.Ias.nu.10.in l.qui iurisdictioni.ff. de iurisd. Nauar.num.48.vbi proximè,& præcitatis.

44 Tùm etiam quia cum Pontificum assertione concurrunt aperta sacræ paginæ testimonia,Conciliorum omnium authoritas,vniformis Ecclesiæ Catholicæ consensus,vt constat vltra alia ex relatis per Bellarm.de potest.summi Pontif. in rebus temporalibus à principio,vbi congerit decem Cōcilia,Pontifices, Patres, Illustriores authores ex Germania,Gallia,Anglia,Scotia,Italia,& Hispania:quæ rem efficiunt euidentem ; quo casu non procedit argumentum ex Ioan.5.sed contrarium iuxta illud Ioan.8.*Quare testimonium meum, & patris non accipitis*,habetur 2.q.4.aliàs 5.in princip.cuius veritas non ex ipsius tantum dicto constabat, sed ex Patris testimonio,prophætijs,& operis,quæ asser-

assertionem Christi comitabantur Ioan. 5. & 8. vt eleganter tradit Iancen. in concord. Euangel. cap. 63. vers. si ego testimonium cum seqq. & capit. 77. vers. dixerunt ergo: Vndè meritò sacrilegij notam incurrere eos, qui Pontificibus Romanis in his fidem adhibendam negarent, docet Innocent. IIII. in cap licet ex suscepto, num. 3. vers. sed dicet aliquis de foro compet. Nauar. in d. notab. 3. num. 45. probat D. Augustin. contra epistolam Fundamenti Manich. cap. 4. dicens, *tenet me in Ecclesia Catholica consensio populorum, atque gentium, tenet authoritas miraculorum, tenet ab ipsa sede Petri vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.*

45 Quartò infertur ex prædicta subordinatione in ordine ad spiritualia posse Romanum Pontificem in Imperatorem, & Reges ex vi suæ potestatis animaduertere vsque ad depositionem, post legitimā admonitionem potestate abutentes, & ex malitia, aut sūma negligētia spirituali bono, Fidei Catholicæ, seu Ecclesiæ regimini, tranquillitati, & paci fidelium maximè nocentes, iuxt. tex. in cap. alius 15. q. 6. cap. ad Apostolicæ de re iud. in 6. dum probāt summum Pontificem potuisse Regem Regno, & Imperatorem Imperio priuare, id quod multoties fecisse alios Pontifices Romanos, ex historijs, & multis authoribus referunt Castal. de Imperatore quæst. 81. & post Guerreirum Mench. Illust. cap. 8. num. 20. Palacius de iusta retentione Regni.

Nauar

Nauar.2.p.§.7.Bellarm.de Rom.Pont.lib.5.cap. 8.& de potest.summi Pontif.in temporalibus contra Barclaium in pr.cap.de sententia Conciliorũ, Grisaldus in decisionibus Fidei, verb. Papa num.25. Suar.contra Angliæ errores lib.3.cap.23. num.6. Martha de iurisdict.p.1.cap.23.Tiraq.de primog. quæst.22.num.4.Bursat.consf.124.num. 75. vol.1. Mench.illust.capit.8.à num.20. Et passim alij. Sic enim opus erat in finem supernaturalem, bonum spirituale,& Ecclesiæ defensionem,& conseruationem, vt explicant Victoria, Nauar. & citati corol. præced.vt per Castal.vbi supra, Clar.in pract.§.vltim.quæst.35.à num.6.Bellarm. de Rom. Pontif. lib.5.cap.7.& 8.& lib.1.de translat.Imperij capit. 12.vers.qui cum ita sint, Mol.de iust. tom. 1. tract. 2.disp.29.vers.ex dictis Soti,& col.pen.vers.ad 2.verò cum seqq.& satis consonat illud Ioadæ Pontificis contra Athaliam Reginam 2.Paralipom.c.23. & 4.Reg.cap.11.de quo corol.vlt. ad 5.

46 Et comprobatur ex sent.D.Thom.lib.1. de regim.Principis cap.14.& 15.vbi sic ait, *quia igitur vitæ, qua in præsenti viuimus, finis est beatitudo cælestis: ad Regis officium pertinet, ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, secundum quod congruit ad cælestem beatitudinẽ vt scilicet ea præcipiat, quæ ad cælestem beatitudinem ducunt, & eorum contraria, secundum quod fuerit possibile, interdicat*. Hæc D.Thom.ad quem effectum intra Ecclesiam potestates sæculares constitutæ sunt, vt docte

ctè tradit D. Iſidorus in capit. Principes ſæculi 23. quæſtion. 5. in hæc verba, *Principes ſæculi nonnunquã intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant, cæterùm intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi vt quod non præualet Sacerdos efficere per Doctrinæ ſermonẽ, poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem: ſæpe per Regnum terrenum cæleſte Regnũ proficit*, & paulò poſt, *cognoſcant Principes ſæculi Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt*. Ergò ſi Princeps Chatolicus & filius Eccleſiæ eam deſerat, impugnet, plebemque à vita æterna auertat contra proprium officium, & munus, erit proculdubio à communi Patre hoc eſt Romano Põtifice dirigendus, & corrigẽdus D. Thom. d. c. 14.

47 Planè quia iuxta illud vulgare de quo in c. quẽadmodum verſ. nam ſi poſt de iure iurando, facilius impeditur aliquid ne fiat, quam tollatur poſtquam factum eſt; ſic vt ſummus Pontifex Imperatorem, aut Regem iam conſtitutum, vbi opus fuerit priuare, & deponere poteſt, ita & multò magis ex eiſdem cauſis, & in eiſdem terminis poterit impedire, ne Rex, aut Imperator conſtituatur ex Molin. diſp. 29. verſ. ex dictis, poſt Victoriã, Pigium, Turrecrematã, & alios, quos refert Bellarm. in apologia contra ſereniſsimũ Iacobum Angliæ Regem, agnoſcit hoc vltimum Barclaius, vt per Bellarm. de poteſtate ſummi Põt. in tẽporalibus c. 20.

Hæreticus enim non potest eligi in Imperatorem, vel Regem, ca. Venerabilem, ibi: *Hæreticum*, de electione, Castald. de Imperatore quæstion. 75. num. 4. & præcitati, quòd si Pontifices Romani aliquando non deponant, nihilominus non deficit potestas, sed abstinent, quia hæreses, rebelliones, scismata, aut similia mala pertimescunt, vt Molin. & proximè citati aduertunt.

48 Illud maximè notandum erit, quod summus Pontifex non priuat Imperatorem Imperio, aut Regem Regno tanquam iudex ordinarius eo modo, quo deponit, aut priuat Episcopos, sed tanquã summus, & vniuersalis pastor, vbi sic oportet in finem supernaturalem, & ita exvi potestatis spiritualis, vt resoluũt Driedonius lib. 2. de libertate Christiana cap. 2. vers. cæterum, Bellarm. lib. 5. de Roman. Pontifice capit. 6. versicul. quantum ad personas, Molin. disput. 29. vers. ex dictis infero; idque satis significat textus in cap. ad Apostolicæ vers. nos itaque de re iudicata in 6. vbi Pontifex ad sententiam priuationis contra Imperatorem expendit se in terris Vicarium Dei, & potestatem habere per illa verba, *quodcumque ligaueris*, obseruat Bellarmin. aduersus Barclaium cap. 3. vers. 4. Hinc reijcies cauillationes Barclaij de potestate Roman. Pontificis, dùm ex prædicta Pontificis potestate inferebat Reges habere Regna à Pontifice titulo precarij; & ad libitum remoueri posse, quæ

llatio,

illatio Iurisperito indigna responsionem non me retur, de quo tamen corol. penult. diffugia nãque hæc, & euasiones à protestãtibus inuẽtæ sunt vt notat Suar. lib. 3. cõtra Angliæ errores c. 29. n. 2. & 3.

49 Licet autem priuatio Regis, & Imperatoris in Concilio fieri soleat, vt constat ex d. c. ad Apostolicæ vers. nos itaque, quia sic vtilius, maturius, & maiori cum deliberatione fit, Pontifex tamen summus per se solus iustè, & validè id efficere potest, vt constat ex cap. alius 15. quæstion. 6. fatentur omnes in d. capit. ad Apostolicæ, Alexandrinus in capit. si Papa ad fin. 40. distinct. Bartolus in l. si Imperator numer. 4. C. de legibus, Bald. in proœmio. ff. veteris, Iulius Clarus §. vlt. quæst. 35. n. 6. Gambara de offic. legati lib. 2. tit. de variis ordinariorum nominibus num. 220. Castald. de Imperatore quæst. 81. n. 2. Quoniã tamen res est grauissima & necessitas manifesta, & explorata esse debet; idcircò Pontifices ordinariè in consistorijs Cardinalium causas proponunt, & examinant, Bellarmin. aduersus Barclaium cap. 12. §. 4. ad fin.

50 Nec obstat, quod in primitiua Ecclesia nec Petrus, nec successores ea potestate vsi fuerint, vndè signum est summum Pontificem ea carere, vt pungit Barclaius de potestate summi Pontificis cap. 6. cui eodem cap. rectè respondet Bellarm. & Suarez contra Angliæ errores lib. 3. cap. 29. à num. 3. non ex defectu potestatis, sed ex defectu subiecti,

aut oportunitatis id eueniſſe. Reges enim erant Ethnici, vireſque Eccleſiæ debiles , temporaque tùnc erant, vt potius ad martyrium ſubeundum prælati Eccleſiaſtici, quàm ad Principes coercendos parati eſſe deberent, quando adhuc illud Propheticum Pſ. 2. implebatur, *quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania; aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtum eius*, At vbi vidit Eccleſia ſuæ poteſtati locum aliquem aperiri, ſibi non defuit, & tũnc locus fuit prophetiæ, quæ in eodem Pſalmo pauló poſt continetur, *& nunc Reges intelligite, erudimini* (nõ erudite) *qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore*, vt D. Aug. ait in epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem refertur in cap. ſi Eccleſia 23. q. 4. & idem Auguſt. in epiſtol. 40. ad Vincentium relata in cap. non inuenitur 23. quæſtion. 4. ſatisfacit huic obiectioni exemplo , & figura Nabuchodonoſoris , qui à principio pios, & iuſtos proſequebatur; ex poſt facto conuerſus ad honorandum Deum verum decreuit, vt quicumque in Regno ſuo blasfemaret Deum Sidrah, Miſach, & Abdenago, pœnis debitis ſubiaceret, Daniel 3. Quapropter nõ eſt deducendum argumentum à nõ vſu in principio naſcentis Eccleſiæ, ſed ex vi, & natura poteſtatis Diuinitus in ſacris litteris Petro, Petriq; ſucceſſoribus conceſſæ, ex d. c. non inuenitur, ibi: *Non inuenitur exẽplum in Euangelicis , & Apoſtolicis litteris* , & ibi *quis negat.*

negat non inueniri? sed nondum implebatur illa prophetia, &c.

51 Minus etiam obstabit quod Pontifices aliquando iudicio Imperatorum se subiecerunt, c. nos si incompetenter 41. c. Si quis super 42. 2. q. 7. c. mandasti, cap. auditum 2. q. 5. Nam d. c. si quis, aliud lōgè diuersū docet, vt cōstat ex originali, quod refert Sua. lib. 4. in defensione Fidei Chatolicæ c. 7. n. 10. Cætera vero iura non ad subiectionem iuridicam, sed arbitrariam, ex libera Pontificum voluntate pendentem referenda sunt, D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 1. ad 2. vbi Caiet. Bellar. lib. 2. de Rom. Pont. c. 29. arg. 6. & lib. 2. de Concil. cap. 18. Turrecrem. lib. 2. Summæ capit. 104. & 105. Suarez d. capit. 7. à numer. 3. cum etsi velit non possit Christi Vicarius se alteri subijcere, siue quoad iurisdictionem temporalem, Abb. numer. 7. Felin. 2. in capit. Ecclesia S. Mariæ de constitutionibus, Bald. in l. est receptum. C. de iurisdict. D. Thom. & omnes in 4. distinct. 18. & 19. Caietanus d. art. 1. & alij, quos refert, & sequitur latè probans Suarez d. capit. 7. num. 2. siue quoad vim coerciuam respectu spiritualis potestatis, Bellar. Turrecrem. & alij citati à Suar. n. 3. vbi proximè & cōstat ex c. patet. 9. q. 3. cū alijs ibidem. Imò Pontificem recognoscunt Imperatores esse ipsis longè superiorem, prosequuntur ex Ruf. & alijs latè Bellarm. lib. de Ecclesia cap. 18. Suarez lib. 3. contra Angliæ errores c. 31. n. 9.

52 Quod si legatur Imperator interdum iudicasse de causa Pontificis, & illum deposuisse, certè id iure factum non est, vt ex historijs, Patribus, & alijs benè probant Bellarm. lib. 2. de Roman. Pont. ca. 29. argum. 5. & lib. 2. de translat. Imperij cap. 4. column. 5. & in apologia ad Iacobum magnæ Britaniæ Regem cap. 17. resp. 1. Suar. contra Angliæ errores lib. 3. cap. 29. num. 9. cum seqq.

53 Quintò principaliter infertur ex eadem potestate posse summum Pontificem Principibus Catholicis, & benè meritis titulos, & insignia Regia concedere, quòd multis exemplis illustrari potest, Gottifredus enim Buglio anno Domini 1099. Regis tituli Hierusalem, quam gloriosè à infidelium dominatu, & tyrannide vindicauerat, impetrauit, D. Antoninus de excommunicat. cap. 72. Marta de iurisdict. libr. 1. capit. 26. numer. 38. Alfonsus VII. vocatur Imperator Hispaniarum de consensu Innoc. II. anno 1135. Marian. lib. 10. hist. Hisp. cap. 16. quod tamen Gelasij sæculo tribuit Genebrard. anno 1118. Rogerius Siciliæ Rex ab Vrbano II. quem defenderat, creatur; Marian. d. lib. 10. cap. 5. Marta d. cap. 26. à numer. 6. Henricus I. ab Alexandro III. anno 1179. Regiam Lusitaniæ dignitatē sibi & successoribus impetrauit; Eduardus Nonius, & alij in eius vita, Baronius tom. 12. Azor tom. 2. libr. 4. capit. 34. Illustrissimus D. Rodericus Acuñha Episcop. Portucalensis, no Cathalogo

go dos Bispos do Porto 2 p. c. 6. ad finem, P. Antonius de Vasconcellos in descriptione Lusitaniæ in princ. n. 4, vbi refert Alexandri diploma, sic Cosmo de Medices Etruriæ Principi Pius V. coronã, sceptrum, magnique Ducis insignia, & nomen donauit, Anto. de Fuenmayor in eius vita libr. 5. Rex Angliæ tribus titulis à Sede Apostolica per prædecessores obtentis insignitus gloriatur, scilicet Regis Hierusalem, & Hiberniæ diadematis, Henricus enim II. Angliæ Rex ab Adriano IV. vel vt alij malunt, ab Alexandro III. Hiberniæ dominium, & Regnum adeptus est; Polid. Virg. histor, Angliæ lib. 13. Ribadeneira libr. 1. de la historia Ecclesiastica de Inglaterra, cap. 44. Aubertus Miræus in politica Ecclesiastica lib. 1. c. 52. & in geographia Ecclesiastica verbo, *Hibernia*, vbi id Ioan. II. tribuit. Itẽ defensoris Fidei Chatolicæ (ò vtinã) nomen consequutus est à Leone X. Henr. VIII. Ribadeneira d. lib. 1. cap. 3, sic erga alios Principes summi Pontifices eadem liberalitate, & dignitate vsi sunt, vt latè prosequitur Marta, de iurisdict. lib. 1. cap. 26. à num. 5. Ioseph Valentin. de osculatione pedum Roman. Pontif. capit. 17. Bursa. cons. 124. num. 76. vol. 1.

Idquè summa cum ratione. Cum enim Principes Chatolici defensores sint Ecclesiæ, & ad id constituti, & necessarij cap. Principes 23. quæst. 5. vt n. 46 annotauimus, condecens est, vt honoribus, &

præmijs pro meritis à supremo Ecclesiæ Principe condecorentur.

24 Sextò principaliter infertur ad quæstionem vtrum summus Pontifex quà talis, habeat in orbe Christiano supremam potestatem, vel iurisdictionem temporalem; in quo dubio communis Iurisperitorum, quam & probant nō nulli ex Theologis, affirmat eā esse penes Pontificem, non quidem actu, prout habet spiritualem, sed in habitu, seu potentia, & quamuis illam frequentius per Imperatorem, & Reges exerceat, per se ipsum tamen facit aliquando, & habitum illum reducit ad actum ita glos. 1. Innocenc. & Doctores communiter in cap. nouit de iudicijs, & in cap. causam quæ 7. qui filij sint legitimi, & glos. 4. in capit. 1. 22. distinct. cum similibus, Bart. in l. 1. §. præsides. ff de requir. reis, vbi affirmat hæreticum esse contrarium asserere, & ea ratione hæreseos damnatum fuisse Dantem poetam celebrem, neruose Marta de iurisdictione 1. part. capit. 18. vsque ad capit. 26. testantur post alios hanc esse communem Nauar. d. capit. nouit notab. 3. numer. 19. cum sequentib. Couar. regula peccatum 2. p. §. 9. num. 7. Mench. illustr. cap. 20. num. 2. vers. contrariam, Perez ad l. 1. titul. 1. libr. 3. Ordinamenti pagin. 4. vers. præterea, Molin. de iust. tract. 2. disp. 29. in prin. Salas de legibus disp. 7. num. 27. vbi Aluarum Pelagiū, Bosium, & alios Theologos citat

& Marta d.1.p.c.19.à n.5.& veriorẽ post alios dicit Bursat.cons.90.n.32.& cons.200.num. 18.

55 Et vltra multa quæ adducit Nauar.à num.1.vbi supra,& viginti fundamenta, de quibus per Bermondum relatum à Menchaca, & Perez dictis locis,& vltra alia,de quibus per supra citatos,præcipuè Martam. Vrget primò maximè d. capit. 1. 22.distict.vbi.*Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cælestis Imperij iura commisit*, cum similibus citatis per glossã ibi,text.in extrauag.Vnam sanctam de maioritate inter communes,dum ex verbis Domini Lucæ 22. docet,& probat duos gladios esse in Ecclesia, quorum alter scilicet spiritualis per eandem euaginatus,&sic in actu exercetur; alter verò scilicet temporalis non ita, sed in vagina reconditus habetur pro Ecclesia exercendus manu Regum,& militum,ad nutum, & potentiã Sacerdotis,id est summi Pontificis.

56 Secundò facit quia Christus Dominus habuit eam summam potestatem temporalem,iuxta illud Matth.vlt.*data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*;cũ similibus expensis à Nau.n.8.sup. sed Christus Dominus Petro tãquam Vicario,& eiusdem successoribus dedit suam potestatem, capit. ita Dominus 19.dist,cap.in nouo 21.distinct. cap. 1. 22.distinct.diximus latè supra, igitur & hanc summam,& supremam temporalem.

57 Tandem in c.Venerabilem 34.de electione, in

cap.alius 15.quæst.6.in cap.licet de foro compet. in cap.grandi de supplend.neglig.in 6. in capit.ad Apostolicæ de re iud.in 6. in Clem.1. in princ. de iure iurand.in Clem.pastoralis ad fin.vers nos tandem de re iud.& in multis similibus legimus summos Pontifices potestatem exercuisse circa translationem Imperij,electionem, & confirmationẽ Imperatoris,priuationem eiusdem, & Regum, & circa dationem curatoris,qui illis necessarius fuit, & similia, quæ omnia, & singula ad temporalem potestatem, non verò ad spiritualem pertinere videntur.

58 Contrariam sententiam vt veriorem amplectũtur communiter Theologi,quam & probant nonnulli ex Iurisperitis; imò quod Pontifex Romanus solam habeat potestatem spiritualem, non autem sæcularem supremam,quæ & gladius temporalis dicitur,etiam in habitu,& potentia, vt constat ex Paludan.Turrecrem.Caiet.Victoria,Sot.& alijs quos referunt,& sequuntur Molin.de iust.tract.2. disp.29.col.4.vers.inter has,Bellarm. dicens communem Catholicorum Theologorum libr. 5. de Roman.Pontif.cap.1.vers.3.Suar.lib.3.contra Angliæ errores cap.5.à num.8.Pegna ad director.1.p. super extrauag.vnam sanctam comment.8.versic. cæterum,Nauar.cap.nouit not.3.à n.21. de iudicijs,Couar.reg.peccatum 2.p.§.9.numer.7.Salas de legibus disp.7.à num.29.Simanc.de Catholic.

cap.45.

capit.45.num.25.& seq. Marta de iurisd. contrariam sequens 1.p.cap.17.à num.1.probat glos. in capit.quoniam 10.dist.Cardinal. Baldus, & alij ex Iurisperitis, quos refert Nauar.d.notab. 3.n. 41.Mench.Illustr.cap.20.num.2.qui communem fatentur.

59 Pro qua viginti fundamẽta cõgerit Bermond. relatus à prædictis,& viginti duo Mart. post Nau. d.n.21.cum seqq.vrget primò textus in d.c.nouit multipliciter expensus à Nauar.d.num. 21. capit. causam quæ 7.qui filij sint legitimi, ibi: *Ad Regẽ pertinet,non ad Ecclesiam de talibus possessionibus iudicare*, cap.quoniam,ibi: *Officia vtriusque potestatis discreuit* 10.dist.c.cum ad verum in eisdem verbis 96. dist. cap.solitæ de maioritate cap.si duobus 7.§.vltim. de appellat.per locum ab speciali,ibi: *In his,quæ sunt nostræ temporali iurisdictioni subiecti*, cum alijs adductis à præcitatis.

60 Secudò quia iuxta multorum sententiam Christus homo nec habuit,nec habere voluit Regnum temporale iure hæreditario, vel ex electione, aut alia via,nec vnquam exercuit huiusmodi potestatem iuxta illud Ioan.18. *Regnum meum non est de hoc mundo*,& illud Psalm.2: *Ego constitutus sum Rex ab eo super Siõ*, id est Ecclesiam,& Luc.12. *O Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos*, cum multis aliis, quæ expendunt Bellarm.vbi sup.cap.4. Victoria, Soto,& alij relati per Henriquez de vltimò fi-

ne

ne hominis cap. 25. §. 1. Mol. disp. 28. col. 3. vers. contrariam, addit Suar. 3. p. tom. 1. q. 22. disp. 48. sect. 2. Quòd nec post resurrectionẽ Christus habuit dominium temporale orbis, eò maximè quia Christus Dominus Petro, & successoribus concessit potestatem spiritualem tantum modò, & claues Regni cœlorum, iuxta illud Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcumque ligaueris*, &c. cap. in nouo 21. dist. cap. solitæ ad fin. de maioritate.

61 Tandẽ facit, quia suprema potestas, & gladius temporalis non potest insolidùm existere apud plures, iuxt. regul. l. siut certò. §. si duobus. ff. commodati cum traditis à Pinel. l. 1. de bonis matern. 3. p. num. 10. Mantua Paralipom. cap. 50. Gom. l. 45. Taur. nu. 95. At extra controuersiam est eiusmodi potestatem plenam, & insolidum existere apud Imperatorem, & Reges, vt colligitur ex lege deprecatio. ff. ad l. Rhod. de iactu, ibi: *Mundi Dominus*, cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi, ibi: *Rex* (Franciæ) *superiorem in temporalibus minimè recognoscit*, obseruant glos. pen. in cap. Adrianus 2. 63. dist. Couar. reg. peccatum 2. p. §. 9. numer. 6. vers. 2. Mench. Illust. cap. 20. à num. 1. Hotom. Illustr. quæst. 1. Rojas in epitome cap. 23. num. 93. Martà de iurisd. 1. p. cap. 20. num. 1. & 2. Suar. libr. 3. contra Angliæ errores cap. 5. num. 6. Neque Romani Pont. plus potestatis quàm par est, sibi attribui consen-

ſentiunt, vt de Pio V. teſtatur Nauar. in cap. non liceat Papæ §. 3. num. 6.

62 Retenta hac poſteriori ſententia aduertendū eſt vtramque opinionem Chatolicorum, licet in verbis, & modo explicandi maximè differant, in effectu tamen, & ſubſtantia concordari, & ad verum ſenſum reduci poſſe, vt benè aduertunt Bellarmin. lib. 5. de Roman. Pontifice cap. 4. & 6. & contra Barclaium cap. 3. Molin. de iuſtit. tract. 2. diſp. 29. & paſsim nouiores, vt notabis corol. ſequenti ad quintum ad finem. Vtrique namque eam poteſtatem iuxta iuris terminos Summo Pontifici cōcedunt, quòd licet alij directè, alij indirectè exponant, in poteſtate tamen, & ſubſtantia non diſſentiunt. Non obſtant ergò pro prima opinione adducta.

63 Non primum ex cap. 1. 22. diſt. ibi: *Terreni ſimul, & cæleſtis Imperij iura commiſit*, cui variè reſpondet gloſſa, verbo, *terreni*, cum ſeqq. in extrauagan. 1. Ioan. 22. ne ſede vacāte, vbi eadem berba referuntur, Turrecrem. & alij in d. cap. 1. Nauar. d. notab. 3. num. 126. Bellarm. lib. 5. de Romano Pontifice cap. 5. in pr. Molin. d. diſp. 29. col. 3. verſ. 4. & col. pen. verſ. 4. Dupliciter tamē facilius ſatiſfit, primò vt illa verba intelligātur nō eodē modo, ſed ſecūdū vtriuſq; poteſtatis qualitatē, ita vt poteſtas ſpiritualis directè, tēporalis indirectè habeatur, ex Molin. vbi proximè, & eſt de mente aliorum, vel potiùs Nico-

Nicolaus Pontifex,si is est de quo dubitat Bellar. vbi proximè,videtur allusisse ad illa verba Christi Dom.Matth.16.*Tibi dabo claues,&c. Quodcũq; ligaueris super terram,erit ligatum & in cœlis*, ita vt sensus sit quod Christus Petro æternæ vitæ clauigero,id est, habenti claues Regni cœlorũ,iura cœlestis simul, & terreni Imperij concessit,vt quod ille solueret, vel ligaret in terrestri Imperio,solueretur,& ligaretur in cœlesti,ne idem Pontifex sibi contrarius aduersetur in cap.cum ad verum 96. dist. contendunt Decius in cap. nouit nu.7. vers.3. aliàs num. 58 de iudicijs Cagnol.in procemio.ff num.56.Bellarm.d.cap.5.& ita non probat ille text. communem nostrorum allegationem.

64 Ad extrauag.Vnam sanctam de maioritate,& authoritatem Euangelij Lucæ 22.circa duos gladios,quos Pontifex ibidem expendit; inter alia, de quibus per Abbatem à num.11.Deciũ 7. Sicul.Felin.Alciat.n.3. Quinti à num. 6. Nauar.notab.3. num.139 in cap.nouit de iudicijs,Castald. de Imperatore q.50.à num.22.Couar.reg.peccatum 2. p.§.9.num.7.vers.3.Victoriã de potestate Pontificis num.19 Duar.lib.1. de sacris Ecclesiæ minist. cap.4.Igneum in tract.an Rex Franciæ recognoscat Imperatorem num.105.Bellarm.lib.5.de Romano Pontif.cap.5.vers.2.& cap.7.vers. item potest cum seqq.& de potestate summi Pontificis in temporalibus contra Barclaium cap. 19. vers. ad-

dit,

dit, Molin. de iust. 2. tract. disp. 29. concl. 3. vers. 4 Pegña ad directoriũ 1. p. in d. extrauag. commen. 8. Marta de iurisd. 1. p. cap. 18. n. 2. Satisfit ex mente communi Pontificem ex sententia D. Bernardi lib. de considerat. ad Eugenium, totum esse in ostẽdendo, quod vltra gladium spiritualem, temporalis etiam est in Ecclesia, non quod sit eodem modo, quo spiritualis existit, & ita docet Pontifex spiritualem esse superiorem, temporalem verò inferiorem, & illi subiectum; insuper illum ab Ecclesia, hunc verò pro ea, id est pro conseruatione eiusdem, & in ordine ad finem supernaturalem fore exercendum, quod satis constat ex verbis textus & extrauag. Meruit de priuilegijs inter communes, quidquid aliter intelligant alij citati per supra citatos, dùm existimãt Pontificem in d. extrauag. Vnã, tanquam veritatem Chatolicam declarasse vtrũque gladium esse apud Romanum Pontificem, & Imperium ab eodem haberi, contra quam declarationem Ludouic. Imperator constitutionem promulgauit, qua maiestatis reos condemnat eos, qui dixerint Imperium à Pontifice haberi, vt per Alber. & alios relatos à Decio num. 7. vers. sed aliàs num. 63. Duar. Castald. à num. 7. dictis locis; & fortasse quia multi olim sic putabant, supposita eorũ opinione emanauit d. extrauag. Meruit, quæ cõstituit Regem Galliæ post d. extrauag. Vnam sanctã, non magis subijci Pontifici, quam ante illàm subijceretur;

ceretur Bellarm. contra Barclaium cap. 3. n. 2. Authoritas verò illa, *Ecce duo gladij & satis est*, Lucæ 12. in sensu litterali explicatur à Teophilato, & Patribus, vt per Bellarm. d. vers. 2. & d. cap. 19. Caietan. ientacul. 1. quæst. 2. vers, ad hanc, & vers. ad obiecta Iansen. in concord. cap. 133. ad finem, Ioan. Suar. Episcopus Conimbricens. in Lucam tractat. 254. quamuis Bernard. & Pontif. in sensu mixtico eam authoritatem adducant.

65 Et licet Barclaius ex verbis D. Bernard. & d. extrauag. Vnam sanctam, ibi: *Ad nutum Sacerdotis*, intelligat assensum, vt ad libitum Pontificis detorqueat sensum, attamen nutus in superiore importat Imperium, & potestatem Virg. lib. 10.

Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

Tullius in Catelinam, *hæc Deorum immortalium nutu atque consilio* gesta esse videntur 2. Regul. 17. *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitofel*, Iob 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutũ eius*, obseruat Bellarmin. contra Barclaium capit. 19.

66 Non obstat secundum argumentum, tùm quia controuersum est, vt iam diximus vtrum Christus Dominus fuerit Monarcha temporalis, & potestatem excellentiæ habuerit super omnia temporalia, & partem negatiuam sequuntur Victoria, Sotus, & plerique alij relati per Henriquez lib. vlt. de vltim. fine cap. 25. §. 1. in fine littera A. Bellarm.

lib. 5.

libr.5. de Romano Pontifice capit. 4. vt diximus numer. 60. Affirmatiuam, quæ magis communis & verior est (qua tamen potestate vsus nō est Christus) amplectuntur D. Thom. libr. 1. de Regimine Principis cap. 22. Nauar. cap. nouit. notab. 3. nu. 8. Mendoza quodlibet. quæst. vltim. nu. 17. sequuntur post alios DD. quos referunt Vazquez in 3. p. tom. 1. disputat. 87. capit. 2. Suarez d. 3. par. tom. 1. disput. 48. sect. 2. Azor 2. tom. instit. lib. 4. capit. 19. q. 5. Molin. de iust. 2. tract. disput. 28. & Henriquez & ab eo relati d.c. 25. §. 1. littera X. cum seq. Marta de iurisdict. 1. p. cap. 22. à num. 2. iuxta illud Ioan. vlt. *data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* cum alijs citatis à prædictis.

67 Tùm etiam quia admissa hac posteriori sententia, ea potestas excellentiæ communicata non fuit in temporalibus Petro, & successoribus, sicut nec potestas excellentiæ in spirirualibus, vt tradunt post D. Thom. de regimine Principis lib. 3. capit. 10. in fine receptum ex Nauarro d, notab. 3. numer. 130. Bellarmin. libr. 5. de Roman. Pontifice capit. 4. in fin. Molin. 2. tract. de iustitia tom. 1. disput. 29. col. 5. Bellarm. aduersus Barclaium capit. 27. ad finem.

68 Ad tertium argumentum respōdetur probare tantū summo Pontifici cōpetere iurisdictionē iudicādi, & deponēdi Reges, & Imperatorē in ordine

ad finem supernaturalem, quòd non importat, nec præsefert potestatem supremam temporalem, sed spiritualem, vt sæpius supra explicauimus.

69 Ex hac tamen nostra sententia, & illius fundamentis tantummodò euincitur non posse Romanum Pontificem directè exercere iurisdictionem temporalem, non verò concludunt non posse indirectè in finem supernaturalem, nec in hoc casu Pontifex temporalem Regis potestatem perturbat, contra capit. nouit de iudicijs. Eam namque perturbaret, si directè impediret in finem naturalem. Imò constat Christum Dominum hanc potestatem exercuisse, Matth. 21. refertur in cap. eijciens 88. distinct. dum è templo eiecit ementes, & vendentes, videtur vsus fuisse hac potestate inferiori, & temporali, indirectè, & minus principaliter in finem supernaturalem, & in ordine ad bonum supernaturale, quòd eiusmodi ementes, & vendentes offendebant, videndi Abb. & alij in d. capit. nouit Bellarmin. libr. 5. de Romano Pontifice capit. 4. columm. 2. versic. respondent, quidquid aliter intelligat Marta de iurisdict. 1. p. cap. 22. colum. penul. vers. quod autem Christus: quam potestatem proculdubiò Petro communicauit, & in Ecclesia reliquit.

70 Ita & eodem modo nō obstat quod potestas in solidum

solidum penes duos existere non possit ex reg. l. si vt. §. si duobus. ff. commodati. Nam regula illa locum habet quando eadem potestas, & dominium eodem modo, & iure apud duos existit, secus verò si diuerso, aut subordinato iuxta text. iuncta glossa penult. & vltim. in l. 1. ff. si ager vectigal. l. in rebus, ibi: *Naturaliter in eius permanserit dominio*, iuncta lege si prædium 23. C. de iure dotium, authent. si verò dominus, ibi: *Domini principalis*. C. de hæretic. resoluunt latè Pinelus l. 1. de bonis maternis 3. part. à num. 11. Valasc. de iure emphyt. quæst. 13. in principio, & à numer. 13. & ita non inconuenit, quòd Principes temporales in temporalibus potestatem supremam habeant directè, & principaliter: Pontifex verò indirectè, & minus principaliter occurrente casu.

71 Inter Reges tamen, & Imperatorẽ quoad propositum distinguendum erit. Germanicum namque Imperium magis pendet à summo Pontifice, quàm quoduis aliud Regnum Catholicum ex Nauar. in cap. nouit notab. 3. numer. 127. Molin. de iustitia tract. 2. disputat. 29. vers. ex dictis infero. Quoniam licet absolutè, & attenta origine, & natura rei Imperium, sicut & quoduis aliud Regnum sit à Deo, non verò à sede Apostolica, vel Pontifice maximo cap. duo sunt 96. distinct. capit. solitæ, de maioritate cum alijs, auth. quo-

modo oporteat Episcopos in princip. l. 1. in principio. C. de veteri iure, ibi: *Imperium quod nobis à cœlesti maiestate traditum est.* Driedon. libr. 2. de libertat. Christiana capit. 2. & infra referendi, nihilominus tamen post translationẽ factam à Leone 3. in personam Caroli magni sub expressis conditionibus iuxta text. in cap. Venerabilem, de electione, dici potest in aliquo sensu Imperium Germanicum haberi ab Ecclesia, & Romano Pontifice, quatenus habetur mediante illa translatione, & pacto & ita Romanus Pontifex in electione, confirmatione, coronatione, & iuramento potestatem exercet d. capit. Venerabilem, Clem. 1. de iure iurand. clem. Pastoralis ad finem de re iudica. cum alijs. Idque ex eo ne iterum ad Græcos redeat, neuè antiqua sequantur incommoda, & aliquis hæreticus, scismaticus, & Ecclesiæ ac Fidei aduersarius fieret Imperator, & sic concordari possunt glossà, & Doctores, qui negant Imperium haberi ab Ecclesia, aut Romano Pontifice, & qui contrarium affirmant, cum quibus est communis, aut communior sententia. Vt priores intelligantur attenta rei natura, posteriores post Imperij translationem; & ita cessabit controuersia glossæ & Doctorum in c. duo sunt, & c. seq. 96. dist. Abb. à n. 11. Decij 7. aliàs à n. 54. Felin. & aliorũ in d. c. nouit, Castal. de Imperatore q. 50. à princ.

à princip. Couar. regula peccatum 2. part. §. 9. numer. 7. Pelagius de plantu Ecclesiæ libr. 1. cap. 13. Menchaca Illustrium cap. 20. num. 4. & capit. 21. à n. 22. & 27. Bellar. lib. 5. de Romano Pontifice c. 8. versic. 7. vbi id optimè aduertit, in confirmationem prædictorum videndus idem Bellarmin. de translat. Imperij per tres libros præsertim libr. 1. ex capit. 4. capit. 12. & lib. 2. capit. 3. & lib. 3. ex ca. 1. In translatione autem eiusmodi electione, & cæteris Romanus Pontifex non sæcularem, aut politicam, sed Ecclesiasticam, & spiritualem exercet potestatẽ; quatenus Ecclesiæ pastor est, in finem supernaturalem animarum saluti prouidet; vt benè Bellarm. d. c. 12. & supra n. 25. notauimus.

72 Septimò principaliter infertur ineptè, & erroneè labi Guillelmum Barclaium in tract. de potest. Papæ, qui cùm se Iurisperitum, & Catholicũ profiteatur, velut alter Ismael aduersus fratres suos tabernaculũ fixit Genes. 16. contra omnes Catholicos tum Theologos, tùm Sacrorũ Canonũ, & Ciuilium legũ professores. singularẽ sententiã nullo auctore citato, nullo solido fundamento astruere conatur: Agnoscit nãque in Rom. Pontif. Monarchiam Ecclesiæ spiritualem, iurisdictionem, & potestatem, etiam supra Reges, & Imperatores: negauit tamẽ subordinationẽ potestatis tẽporalis àd spiritualẽ, & cõsequẽter etiã negauit posse Pontificẽ

 in

in rebus temporalibus aliquid disponere, nec Reges hæreticos dominio, & Regno priuare: cui docte, & late (vt assolent) respondent Bellarm. integro libro de potestate summi Pontificis in temporalibus, Suar. contra errores Angliæ libr. 3. de Primatu summi Pontificis ca. 21. à num. 4. fortiora tamen Barclaij fundamenta in præsentiarum refutanda duxi, vt appareat quam debilibus argumẽtis nitatur. Primò igitur sic argumentatur, si Pontifici directè in temporalibus potestas non competit, nec competet indirectè ex reg. cum quid vna via prohibetur, non debet ad id alia admitti in 6. ¶ Secundò potestas spiritualis, & tẽporalis iure diuino distinctæ sunt, nec altera in alteram imperiũ habet cap. cum ad verum, ca. duo 96. dist. citatque D. Bernard. lib. 1. de considerat. Driedon. de liber. Christ. cap. 2. Hosium apud Athanasium in epist. ad solitariam vitam agentes. ¶ Tertiò potestas spiritualis, & Ecclesiastica vnam efficiunt rempub. eiusdemque duo sunt membra ad Roman. 12. & 1. Corinth. 12. Sed neque pes à pede, neque brachiũ à brachio, neque humerus ab humero pendet, sed ab vno tertio. ¶ Quartò Innocent. III. in cap. Per venerabilem qui filij sint legitimi, decidit Regem Franciæ in temporalibus non recognoscere superiorem, ergò qui potestatem indirectam Pontifici cõcedunt, contradicũt Innocentio. Nam habet, & non

& non habet, ſimul vera eſſe non poſſunt. ¶ Quintò poteſtas hæc Pontifici competens in temporalibus aut iure diuino, aut humano, aut opinionibus fundatur; ſed iure diuino nullum huius poteſtatis extat veſtigium, nec iure humano poteſtas Regibus diuino iure conſtituta deſtrui potuit; inter Theologos verò & Canoniſtas ingens de hac re diſſenſio, dum hi directam, alij indirectam poteſtatem aſtruunt, facit vt quæſtio hæc de temporali poteſtate Papæ dubia, incerta, ac tota in hominum opinione poſita videatur. ¶ Sextò Reges, & Principes ethnici poteſtatem omnem temporalem habēt, ergò per conuerſionem eam non amittunt, ſicut nec priuati homines amittebāt, Act. 5. exceptis rebus illis, quas ſponte obtulerant; ſimiliter ergò & Principes, vbi Chriſto nomen dabant, ius ſuum temporaleq́; & imperium, & poteſtatem politicam, integram, & intactam retinebant, aliàs ſequeretur, quod Pontifex eſſet maior Deo, nam ſi aufert Regna Principibus, quæ Deus illis dedit, maior eſt Deo. ¶ Septimò ſi ex eo competit Pontifici ea poteſtas, quia omnis reſpub. debet eſſe perfecta, & ſibi ſufficiens in ordine ad ſuum finem, vt tradit Bellarm. de Romano Pontifice lib. 5. cap. 7. verſ. ſecūda ratio; ſequeretur ècontrario rempub. temporalem habere poteſtatem diſponēdi de rebus ſpiritualibus, & deponendi ſupremum reipub.

Ecclesiasticæ Príncipem, sed necessaria est ad finẽ temporalem potestas disponendi de rebus spiritualibus, & deponendi Principem Ecclesiasticum, igitur, sed hoc est falsum, & absurdum, proinde & illud quoque falsũ est, cui hoc est consequens. ¶ Octauo Salomon Rex Sacerdotem Abiatharẽ reũ mortis pronunciauit, *quòd coniuranti Adoniæ consensisset, & eiecit eum ne Sacerdotio fungeretur* 3. Reg. cap. 2. sed hæc potestas per Baptismum in lege gratiæ non amittitur, quia Christus non venit soluere legem, sed adimplere, vt argumentatur capit. 3. §. 3. ¶ Nono D. Gregor. epistol. 61. libr. 2. vocat se famulum indignum Imperatoris, & dicit, Imperatori cœlitus datam esse potestatem super omnes homines, ergò super Papam si homo est?

73 His argumentis, vt alia omittamus, satisfaciendum erit, non obstat igitur primum ex regula: cum quid vna via prohibetur in 6. nam vltra responsionem Bellarm. de potest. summi Pontificis in temporalibus cap. 5. regula illa, vltra alias limitationes de quibus per glossam ibi, limitatur quoties prohibitum venit in consequentiam actus permissi, vt post Alexand. quem citat, resoluit Marian. Socin. consil. 3. n. 39. vol. 2. prosequitur latissime Vincentius Carroccius in repetit. c. cum quid prohibetur lib. 6. p. 1. à pag. 1. vsque ad pagin. 79. Suar. in specie lib. 3. cõtra errores Angl. ca. 30. n. 1. & 2.

& 2. Vulgare namque est axioma tàm in Philosophia, quàm in vtroque iure, quod sicut ei, cui cōmittitur finis, committuntur etiam media ad illum; & cui consequens etiam antecedēs; si cui potestas aliqua, vel iurisdictio conceditur, conceduntur omnia, sine quibus, vel nullatenus, vel sine notabili difficultate eiusmodi potestas, & iurisdictio expediri potest, quæ omnia ad eandem concessionem, non vero ad diuersam spectant, l. 2. ff. de iurisd. *Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videtur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit*, capit. 1. ibi: *Poteris*, capit. prætereà, *quia ex eo quod causa sibi committitur, super omnibus quæ ad causam ipsam expectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.* capit. prudentiam. §. sexta, vbi glossà final capit. suspicionis cum alijs de officio de legati: idque ad varias quæstiones tradunt Iasson, Purpurat. Decius, Curtius, & nouiores in d. l. 2. & alij in præcitatis locis, Euerard. loco 125. cum seq. Menoch. 1. recup. à numer. 362. & remed. 6. numer. 43. de arbitrar. quæstion. 74. à num. 38. & casu 112. à num. 18. Nauar. à num. 28. in princip. de pœnit. dist. 5. Hypol. sing. 175. Gratian. reg. 79. post alios, quos referūt, licet sint alterius gradus, vel ordinis Franc. de Claperijs de Imperio cap. 16. n. 1.

74 Quæ regula multò certius locū habet, vbi finis, de quo agitur, excellētior est medijs, & cōsequens,

vel pricnipale antecedēti, vel accessorio; & vbi maior aliqua, vel superior potestas, & iurisdictio cōcessa proponitur, ea verò quæ præcedere debent, seu media ad illius expeditionē, sunt minora, vel ad minorem, & inferiorem spectant potestatem, vt docet Bart. n. 2. & 3. in d. l. 2. vbi communis ex Ias. n. 11. vers. 4. Curt. num. 13. & alijs, Roman. in l. illud. ff. de adquir. hæred. Ias. in l. si causam n. 6. C. de trāsact. & in l. vlt. n. 6. C. de hæredibus instituendis, Euerard. loco 125. vers. dicta tamen regula Menoch. casu 112. à num. 18. secundum quos id certissimum, ac omnino indubitabile est, si pertineant non tantum ad inferiorem, verum etiam ad subalternam, vel subordinatam superiori concessæ, iuxta tradita in d. l. 2. & d. cap. præterea, & resoluta supra corol. 3. à n. 37.

75 Aduerto etiā prædictam reg. cum quid vna via in 6. procedere quando per indirectum in fraudē legis consequitur quis, quod ei prohibitum est directè, vt in exemplo Barclaij, qui non potest alienare, non potest liti cedere ex Panormitano in c. dudum de electione, & in cap. cum pridem de pactis, de quo videndus est Molin. libr. 4. cap. 9. At in nostra specie summus Pontifex non consequitur temporalem potestatem directè in rebus temporaralibus. Nec enim deponendo Regem ob hæresim, & culpam, ne officiat bono spirituali, eius loco cōstituitur

[illegible]

baptismum, per quẽ vnusquisque de grege fit Christi, & per consequens subditus Petro; imò & ante baptismum sunt indirectè subditi Pontifici, qui ius habet cogendi infideles, ne Euangelij prædicationem in suis terris impediant, neve subditos suos ad fidem negandam, vel non suscipiendam cogãt, aut alio modo religioni Christianæ infesti sint, vt resoluunt Vict. de Indis 2. p. à num. 11. Suar. lib. 4. contra sect. Angliæ cap. 6. à num. 7. & alij.

5 Qua in re tres sunt constituendę conclusiones: Prima, infideles ad fidem Catholicam suscipiendam non sunt armis, & vi cogendi, vt decidunt Põtifices c. De Iudæis, cap. Qui syncera 45. distinct. docet D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 10. sequuntur Sot. in 4. dist. 5. art. 10. column. 14. Victor de Indis 1. par. num. 26. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 29. column. 2. in fin. & lib. 5. cap. 2. Beccan. in summa 2. tom. cap. 13. quæstione 4. Violẽtia enim repugnat fidei, Acosta de procur. Indor. Salute cap. 13. lib. 1. vnde D. Greg. libr. 2. Epist. 52. *Noua, ait, atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.*

6 Secunda conclusio, quantumcumque fides annunciata sit barbaris probabiliter & sufficienter, & noluerint eam recipere, non tamen ex eo eos debellare, & bonis spoliare licet, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. receptus ex Victor. de Indis 1. par. num. 39.

num.39.Couar.reg.peccatum 2.p.§. 10.num. 3. vers.4. Ayala de iure belli libr.1.cap.2.numer.28. An autem per vim ad audiendam fidem cogi possint, adhuc sub iudice lis est, affirmat Sepulueda cõtra Episcopũ Chiapię obiect.10.subdubitat Sotus in consilio quod anno 50.dedit circa Indiarũ conquisitionem vers. la segunda cabeça, negant Episcopus Chiapię in Apologia contra Sepulucdam replica 10.& Salmeron tom.12. tractat. 38. vers.de inde pag.323.Metaphysicũ existimans nõ posse compelli infideles ad credendum, posse tamen ad audiendum inuitos cogi, consentit Becca. in summa 2.tom.cap.13.quæst.4. numer. 12. cum sequenti.

7 Tertia conclusio: potest Papa per se, & per Principes Christianos compellere rempub. aut Principem paganum etiam bello illato, ne impediat libere prędicari Euangelium, & vt sinat impune subditos baptismo sponte suscepto profiteri legem Christi D. Thom. receptus 2.2.quęst. 10. art. 10. Vict. de Indis 2.part.numer.12. Bañez d.artic.10. ad fin. Gam.decis.335.num.2.& sic baptizatos eximere à iure, & obedientia Principis pagani Vict. de Indis 2.p.nu.13.& 14.Bellarm.libr.5. de Rom. Pontif.cap.7.

8 Et in hunc sensum trahenda, & explicanda est Alexandri VI.bulla, qui Castellę Regibus Indias,

& in-

& insulas Occidentales donauit, vt declarat Episcopus Chiapiæ contra Sepuluedam replica 12. Salmeron tom. 12. tract. 39. ad pag. 333. & ad eundem finem Lusitanis ius belli in Indos Orientales
9 ex Pontificia concessione competit; quo tamen adhuc vsi non sunt (vt constat ex historijs quibus fides adhibēda est l. 1. vbi Bart. ff. de offi. quæst. Valasco de iure emphyt. quæst. 9. numer. 26. Gam. decis. 339. numer. 7.) vna excepta Socotora, in qua maris Erythræi insula Christianos ab Apostoli Thomæ aduentu incolas ab Mahometorum Fartacum tyrannide, expugnata arce, & in ea præsidio Lusitanorum imposito ex Emmanuelis mandato Tristanus Acuña liberauit, Maffæus lib. 3. pagin. 68. Lucena lib. 1. cap. 12. in vita Xauierij, meminit Miræus in Polit. Eccles. libro 3. c. 8. Vnde sub prætextu religionis nullus à nostris Rex subactus est, nullus populus armis oppressus.
10 Cùm tamen contra Turcas, & Mauros bellum ex nostra parte semper iustissimum sit, non solùm quando Prouincias olim à Christianis possessas detinent, vt defendunt Innoc. & alij in cap. Quod super his, de voto, Oldrad. cons. 72. Ceuallos tom. 4. q. 906. à num. 210. sed etiā quia ex professione in nostram offensionem parati sunt semper; vt decidit Alexander II. in cap. dispar. 23. quæst. 8. in hæc verba, *In Saracenos qui Christianos persequuntur, & ex urbibus*

bibus, & proprijs sedibus pellunt, iustè pugnatur, resoluit Diuus Thomas 2. 2. quæst. 10. articul. 8. receptus Innoc. num. 5. in cap. Maiores de baptismo Boer. decis. 178. num. 10. Gama decis. 335. num. 1. Gail. lib. 1. de pace publica pag. 4. numer. 40. post Bart. Bald. & alios, quos refert Bellarm. libr. 3. de laicis cap. 16. Paulus Grysaldus in decis. fidei verb. bellum, & Molin. disp. 99. vers. quod si bellum, & disputat. 105. vers. illud tamen, tractat. 2. de iust. quod procedit etiam si Turcæ, & Sarraceni velint in pace viuere; adhuc Christiani illis bellum possunt inferre ex Oldrado cons. 72. Alberico in Rubrica. C. de Paganis, Anania in capit. Ad liberandam de Iudæis & Cacher. in disp. inserta post decisiones Pedam. num. 19.

11 Vndè terras, & loca, quæ nostri Reges contra Turcas, & Mauros in Africa adquisierunt, iusto titulo sua propria efficere iuxta regul. Iurisconsult. in l. Naturalem. §. vlt. ff. de adquiren. rer. domin. l. Si captiuis verb. publicatur. ff. de captiuis, & resoluta per D. Thom. de regimine Principis lib. 3. ca. 11. post Arist. lib. 1. Politic. cap. 4. & alios quos refert, & sequitur Couar. reg. peccatum 2. par. §. 11. num. 1. & 6. vers. res autem, & ita probant contra infideles leges partitæ l. 5. & 19. tit. 26. part. 2. & l. 20. titul. 28. part. 3. elegantius Innoc. 4. in cap. Abbate de re iud. lib. 6. ibi: *Ab infidelibus loca conquisierit,*

& ibi

& ibi, *sua propria facta essent*, vbi glossa, verbo, infideli bus post Innoc. quem refert & ita docent specia- tim de Regibus Hispaniæ loquentes Felin. in cap. cum non liceat colum. 5. de præscript. post multos Aued. lib. 1. de exeq. cap. 1. num. 7. & capit. 4. in pr. Mench. Illust. cap. 81. num. fin. vers. cum nostri, Garcia de expens. capit. 9. num. 68. cum seq. Burg. in proemio leg. Tauri nu. 32. & 144. qui post alios firmat idem de Regibus Lusitaniæ, & de nostro Imperio Africano Castaldus de Imperatore q. 53. n. 6. & Gama decis. 335. n. 1.

12 In Asia verò Lusitani titulo belli in infideles vsi non sunt, imò (ne exemplis protrahamus tem- pus) à Ternatensibus proceribus in legitimæ prosa piæ defectum regni gubernaculum honorem obla tum, & opes Regias excelsiori animo repudiauit Antonius Galuanus Ternatensis arcis præfectus Maff. lib. 10. de reb. Indicis, Andrad. in Ioan. III. libr. 3. capit. 56. Barrios decad. 4. libr. 9. capit. 20.

13 Nostri enim id faciunt, quòd eis ius belli, & iustitia concedit, & fortium hominum officium est, offensi dolent, lacessiti pugnant, illatas iniurias acerrimè persequuntur, vt Naubeadarimus Calecu tiensis Regni Princeps apud auunculum Regem proposuit Osor. libr. 3. de rebus Eman. pagin. 96.

14 ¶ Vndè omnia iure gesisse, ab illis tantum qui fœ dus

dus fregerant pœnas, vt æquum est, exegisse, homines esse in fide tuenda constantissimos, in perfidia vindicanda, & iustissimis pœnis animo maximo repetendis acerrimos defendit apud Mahometem Malacæ Regem Lansamana rerum maritimarum præfectus Osor. lib. 6. pag. 248.

15 Quas ob causas iustis bellis apud Indos suo Imperio plurimas adijciunt ditiones Lusitani teste Nauar. in cap. nouit not. 3. n. 158. de iudicijs, qui titulus ob fœdus, & pactum violatum approbatur à sacra pagina 4. Regũ. 3. Diuo Augustino lib. 6. quæst. 10. capit. dominus 23. q. 2. Vict. de iure belli numer. 13. Molin. tract. 2. de iust. disp. 104. vers. sextò Castro de iust. hæret. punit. lib. 2. c. 14. causa 10. pag. mihi 378.

16 Alius titulus in Lusitanorum fauorem cõsiderari potest: cum in spoliati, aut aliàs iniuriam passi Reges defensionem, & vindicationem sub tributi, aut prædæ pacto auxilium prestant; ex qua ratione Lusitani in India habuerunt occasiones varias, non nulla iure belli occupandi, suumque Imperiũ dilatandi, vt probat in specie Mol. de iust. tract. 2. disp. 105. causa 9. Sic & Abraham ad vindicandũ Regem Sodom. dimicauit contra quatuor Reges, à quibus ipse nullam acceperat iniuriã, Genes. 14. Hanc igitur causam pro socijs & amicis probant Caiet. 2. 2. q. 40. art. 1. Cast. supr. vers. ecce omnes

N Vict.

Vict.de Ind.2.p.n.17.& Molin.d.disp. 105. vers. aliam qui idem referunt de Romanis, & testatur Cicero pro lege Manilia, ibi: *Propter socios nulla ipsi iniuria lacessiti maiores vestri cũ Antiocho, cum Ætolis, cum Pœnis bella gesserunt*, ferturque etiam Hispanos terras Mexicanorũ obtinuisse, ea ratione Talchathedanos aduersus Mexicanos adiuuando Vict. & Molin. vbi proximè.

17 Tertiò cum insita Ethnicis, & infidelibus natura sit inconstans atque infida, opus est, vt qui apud illos versantur, securitati suæ consulant, & neque nocere cupiant, neque tamen se frustra lædi permittant: quare quæ defensioni sunt propria, & tutelę, ea nemo culpare debet, si Christiani satagant; in quo genere sunt portus naualibus stationibus occupati, arces erectæ, ac munitæ, præsidia militaria imposita, quò confugere violati queant, Ethnicos quantum satis erit, terrore ipso in officio continere; hoc à Lusitanis factitatum in plerisque Oriẽtis maritimis vrbibus, non sine egregia ipsorum gloria, & magna reipub. Christianę commoditate, nemo est, qui non laudet. Qui enim inter externos, & meritò suspectos armatur, cautus & prouidus potius, quam iniurius dicetur. Ethicorum namque ingeniũ eiusmodi est, vt nullam patiatur iniuriam, si contra ipsorum iniurias se quisquã muniat, vt eleganter prosequitur Acost. lib. 2. de proc. Ind. salu te

18 te c.14. Adde arces cum præsidijs, vel ipsorum dominorum consensu, vel ob violatam pacem, & perfidiam vindicandam, à nostris fuisse erectas, vt ex historijs constat.

19 His tribus titulis se, maiestatis Regię Imperiũ, fidem Catholicam, & euangelij Tyrones defendunt nostri. Connitũtur enim ostendere hosti virtutem ipsorum semel fraude eludi posse, iterum neque falli, neque vinci posse: cessante verò illarum gentium fraude, & dolo, Lusitani sub commercij specie, aut religionis prætextu, eas non subijciunt, vt firmat Vict. de Ind. 2. p. ad fin. velut testis omni exceptione maior, sæpe laudatus ab Incognito ca. 1. 2. 3. 4. & 6. & passim, vt immeritò ipse in hac parte nos iniustitiæ arguat.

SVMMARIVM.

Cap. X.

2 *Nauigatio in Indiam an sit omnibus communis?*

3 *Poetæ in cognitione iuris naturalis plurimo iudicio valent.*

4 *Occupationis incapacia adquiri non possunt.*

5 *Communes res, quæ sint ex Cicerone.*

6 *Aqua communis.*

7 *Maris an sit commune elementum.*

Communia iuris gentium quæ Romani vocauerint.

8 *Littus maris commune ex iure gentium.*

9 *Maris ad littus accedere nemo à populo Romano prohiberi potest.*

10 *Interdictum, ne quid in mari fiat, quo portus, statio, iter ue nauigijs de terius sit*

Maris nauigatio impedriri non debet

11 *Occupari quod potest, an sit iuris gentium?*

12 *Piscando in diuerticulo maris, vel fluminis an alium prohibere quis possit?*

13 *Mare, & littora an sint diuersæ conditionis:*

Mare an sit de numero rerum, quæ in commercio non sunt?

14 *Nauigationem impediens inique agit.*

Vtile alteri, & mihi non molestum est communicandum ignis de igne communicandus.

15 *Maris ius adquiri potest, & in dotem dari, nu. 32.*

16 *Imperator mundi, & maris dominus.*

17 *Imperator non est orbis dominus*

L. Deprecatio. ff. ad l. Rhod. & nu. 19. & 20.

18 *Imperator non habet supremam potestatem in vniuersa Ecclesia in temporalibus.*

19 *Potestas legis ferendæ supponit iurisdictionem*

20 *Aduersatiua, autem, non semper excludit.*

21 *Maris proprietas ad aliquem pertinere potest;*

L. Sanè de iniurijs, & num. 23. & 24.

22 *Mare sicut arida diuisionem recipit de iure gentium, & contrarium dicere, est perridiculum.*

23 *Incognitus reijcit autores tanquã adulatores.*

24 *Interdictum competit habenti ius maris.*
25 *Interdicta alia ad publicas, alia ad priuatas causas.*
26 *Communia iurisgentium, post adquisitionem manent publica populi vnius.*
27 *Barbari à populo Romano vocantur populi Prouinciales.*
28 *Donellus censet maris, & littorum eiusdem esse conditionis.*
29 *Priuatus in maris iure vtitur priuato interdicto.*
Princeps ius sibi dicit in sua causa.
30 *Maris proprietas etsi sit nullius, protectio tamen, & iurisdictio Imperatoris, vel Principis.*
31 *Princeps in portu, & in mari exigere vectigal potest.*
32 *Venetorum dux annulo desponsat mare ex Pontificia cõcessione.*
Alex. III. Venetias mari dotauit per annuli inuestiturã.
33 *Delicta commissa in mari punienda à terræ Rectore, & intra quot milliaria.*
Mare comprehenditur, & definitur sub terræ territorio.
34 *Latrones grassantes in vijs publicis non gaudent immunitate Ecclesiæ, ac proinde nec piratæ.*
35 *Vectigalia intra quot maris milliaria exigi possunt.*
26 *Maris protectio, & iurisdictio de iuregentium compe tit omnibus principibus, sed post occupationem præfertur possidens.*
37 *Maris protectio necessaria est, ne deferantur extra Regnum merces prohibitæ, & vt securè nauigetur, & obid*

 iustè

iustè vectigal exigitur in vniuerso orbe.

Vectigalia cur in mari, & portu exigantur?

38 *Maris immensitas, & qualitas non repugnant adquisitioni.*

39 *deserta magna in arida reperiuntur.*

40 *Maris pars pertinet ad dominium terræ vicinæ.*

Vrbes maioribus, minoribus ve territorijs circunscribuntur.

41 *Imperator habet iurisdictionem in mari vltra districtum, qui terræ adiacenti competit.*

42 *Mare, aer, & aqua profluens communia de iure naturæ considerantur vt elementa, & vt locum occupantia.*

43 *Aqua fluminis dupliciter consideratur, & numer.*

43 *Mare, aer, & aqua considerata vt localia possidentur.*

44 *Aer quasi possidetur, cum supra nostrum solum est.*

altius tollere ædes licet.

45 *Aeris excipiendi gratia non possumus alienum agrum ingredi.*

46 *Immunitate Ecclesiæ gaudet proiectus in aera cæmeterij.*

47 *Mare fundatum est in aluo, & ideò occupationis est capax.*

Terra est inferior Sphæra cæteris elementis.

48 *Maria moribus gentium in Principum dominium venerunt.*

49 *Occa-*

Mare ad Indos, aut ius in eo nauigandi an sit proprium Lusitanorum occupationis titulo.

Cap. X.

1 RATIONES relatæ in præcedentibus capitibus Lusitanorum nauigatiouem in Indos, nauigationisque ius satis superque iustificant, ita vt opus non esset alijs medijs illud propugnare, sed quia oppignorari nõ reformidat (vt dici solet) munificus solutor.

2 Vlterius excurrendum erit. Incognitus tribus capitibus 5. 6. & 7. maris Indici nauigationem per Athlanticum Oceanum non minus Lusitanis quã Batauis, omnibusque communem esse latè, & eni-
3 xè defendit. ¶ Poetarum etiam auctoritate vtendum sibi esse ait; cum eos in cognitione iurisnaturalis plurimo iudicio valuisse constet, quòd aduertimus, ne id nobis vitio detur, si eorum quoque auctoritatibus ad propugnandum vtamur, suffragante æquitatis regula, nemini aspernari licere idem ius sibi dici, quòd ipse alijs dixit l. 1. ff. quod quis-

que iuris:nos vt clarius procedamus,intra disputationis cancellos argumenta reducemus, nihil obiectionis prætermittentes.

4 Contra igitur tituli propositionem argumentatur sic Incognitus:Primò res, quæ occupari nō possunt,aut occupatæ nunquam sunt,nullius propriè esse possunt,quia proprietas ab occupatione cœpit, & probat authoritate Ciceronis offic. 1. *similis est priuatarum possessionum descriptio, ex quo quia suum cuiusque fit eorum, quæ natura fuerant communia, quòd cuique obtigit, id quisque teneat*, & Thucydidis lib. 1. *qui terram, quæ in diuisione populi nulli obuenit, indefinitam, & limitibus nullis circunscriptam vocat.*

5 Sed omnes res,quæ à natura ita cōparatę sunt, vt aliquo vtente nihilominus alijs quibusuis ad vsum promiscue sufficiant;eius hodièque conditionis esse & perpetuò esse debere cuius fuerant,cum primum à natura proditæ sunt,quod Cicer. offic. 1.voluit,*ac latissimè quidem patens hominibus inter ipsos omnibus inter omnes societas hæc est, in qua omnium rerum quas ad communem vsum natura genuit, est seruanda cōmunitas*,sed sunt huius generis omnes res , in quibus sine detrimento alterius alteri vsus commodari potest,hinc illud esse dicit Cicer. *aqua profluente*

6 *non prohibere*,sic Poeta 6.metam.

Quid prohibetis aquas, vsus communis aquarum est,
Nec solem proprium natura,nec aera fecit,

Nec

Nec tenues vndas in publica munera veni.
Huius generis est mare, quod omnibus patere dixit Vlpianus in l. Venditor. ff. communia præd. & de numero eorum, quæ in nullius adhuc dominiū peruenerūt, vt firmat Neratius in l. Quod in littore. ff. de acquir. rer. dom.

7 Maris ergo elementum commune omnibus est, quia infinitum, ita vt possideri non queat, & omnium vsibus accommododatum, siuè nauigationem respicimus, siuè etiam piscaturam; hinc Cic. offic. 1. *Quid tàm commune, quàm mare fluctuantibus, & littus eiectis*, Virgil. aurā, vndā, littus cunctis patere dicit; hæc sunt quę Romani vocant cōmunia omnium iure naturali, aut publica iure gentium in l. 1. l. 2. l. Aristo. ff. de rer. diuisione. §. & quidem naturali, §. littorū Inst. eod. l. Quod in littore, l. Quāuis. ff. de adquir. rer. dom. l. si quis me. ff. de iniurijs, l. littora cum l. seq. ff. ne quid in loco publico.

8 Eiusdem speciei est littus maris, nisi quod ædificio occupari potest, l. Riparum. §. 1. ff. de rer. diuisione. §. littorum Inst. eod. l. fluminum ff. de damno infecto, si id fieri potest sine cæterorum incommodo, vt Pomponius loquitur in l. Quamuis de adquir. rer. dominio, quod ex Scæuola in l. In littore, ne quid in loco publico, explicabitur nisi vsus publicus, hoc est communis, impediretur, probat Donellus lib. 4. cap. 2.

9 Secundò: nemo potest à populo Romano ad littus maris accedere prohiberi, & retia siccare, l. Nemo igitur. ff. de rer. diuisione, differt autē in eo maris natura à littore, quòd mare nisi exigua sui parte, nec ędificari, nec includi potest, l. littora. ff. ne quis in loco pub. idque sine alterius præiudicio, l. 2. §. aduersus. ff. ne quid in loco pub.

10 Tertiò: competit interdictum, ne quid in mari quo portus, statio, iterve nauigijs deterius sit, fiat l. 1. §. si in mari. ff. de flumin.

11 Quartò, quidquid occupatum est, & occupari potest, id iam non est iurisgentium, sicut est mare teste Marciano in l. Nemo igitur. ff. de rerum diuisione.

12 Quintò indiuerticulo maris, & fluminis si locum occupauerim piscando cum plurium annorum continuatione, alterum eodem vti prohibebo iure, l. si quisquam. ff. de diuersis præscript. sed hoc procedit; quandiu durat occupatio, quemadmodum in littoris occupatione obseruatur, l. fin. ff. de vsucap. vndè ante ædes meas, aut prætorium piscari aliquem prohibere non possum, l. Iniuriarum. §. si quis me, & §. vlt. ff. de iniurijs.

13 Sextò vrget Celsus in l. littora. ff. ne quid in loco pub. qui clarè satis distinguit inter littora, quæ populus Rom. occupare potuit, ita tamen, vt vsui communi non noceretur, & mare quod pristinā natu-

naturam retinuit. Hinc dixit D. Ambrosius libr. 5. hex. ca. 10 *Spatia maris sibi vindicant iure mancipij, pisciumque iura sicut vernaculorum conditione sibi seruitij subiecta commemorant; iste inquit, sinus maris meus est, ille alterius, diuidunt elementa sibi potentes.* Mare igitur est de numero earum rerum, quæ in commercio non sunt, hoc est, quæ proprij iuris fieri non possunt, vt tradunt Faber. in §. littorum de rer. diuis. & Donell. lib. 4. coment. cap. 6.

14 Accedit & vltimo quod qui nauigatũ impedit, quo nihil ipsi perit, insanæ cupiditatis notam non effugiet, Mench. illud cap. 89. nu. 45. Sicut si quis ab igni, qui totus suus est, ignem capere, lumẽ suo de lumine alterum prohiberet, lege hic humanæ societatis reus peragetur. Quid enim si non cõmunicet quis alteri accipienti vtilia, danti non molesta ex Cicer. 1. de offic. quæ non alienis tantum sed ingratis etiam præstari vult. Seneca lib. 3. cap. 28.

15 Hæc argumenta ijsdemmet verbis ex Incogniti disputatione decerpsimus: contra astruendum est in mare ius Principi competere posse. Inprimis Princeps Poetarum id significauit, dum Venus suis Troianis à Ioue fatorum implementum postulat. lib. 1. Æneidos.

Certè hinc Romanos olim voluentibus annis,
Hinc fore ductores, reuocato à sanguine Teucri,

Qui

Qui Mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus, quæ te genitor sententia vertit?

Cui Iupiter.

Nascetur pulcra Troianus origine Cæsar
Imperium Oceano, famam qui terminet astris.

Sed elegantius Augusto Cæsari Oceanum dotis nomine exoptat Poeta lib. 1. Georg.

Tua nautæ
Numina sola colant: tibi seruiat vltima Thule
Teque sibi generum Thetis emat omnibus vndis.

Termini namque ciuitatis, populi vel imperij dos propria dicuntur, vt notant Innoc. in cap. cũ ad sedem num. 2. & 3. de restit. spoliat. & Auend. lib. 1. de exequend. cap. 4. num. 4. colum. 2. de quo infra num. 32. vbi agemus de mari Adriatico Venetijs in dotem dato; quod supponit Pericles apud Thucydidem libr. 1. dùm ait. ***Magna res est maris Imperium.***

16 Hoc ipsum insinuat apud Volusium Męcianũ Antoninus in l. Deprecatio. ff. ad leg. Rhod. *Ego quidem mundi Dominus, lex autem maris, lege Rhodiorũ iudicentur nautica, in quibus nulla nostrarum ei lex aduersetur; hoc autem ipsum, & Diuus Augustus iudicauit.*

17 Non enim probo imperatorem esse orbis dominum, nec Cæsares id dicere voluerunt; sed hyperbole est ad explicandam magnam dominationem, sic & Lucæ cap. 2. *exijt edictum à Cæsare Augusto*

vt

ut describeretur vniuersus orbis, hinc Lucanus lib. 3.

Ignotum vobis Arabes venistis in orbem.

Atque ita nullum Imperatorem, neque de facto, neque de iure habere dominium, & iurisdictionẽ in vniuersum orbem obseruant Sotus de iust. libr. 4. quæst. 4. art. 2. & in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 1. Victoria de Indis part. 1. num. 24. & 25. Couar. reg. peccatum 2. par. §. 9. num. 5. Molin. 2. de iust. disput. 30. communis ex Salone 2. 2. ad quæst. 61. q. de dominio q. 4. art. 6. & Salas de legibus disp. 7. à num. 40. Cenedo & ab eo relati ad decretum collect. 64. num. 2.

18 Nec etiam totius Ecclesiæ in temporali iurisdictione Principem esse probat Suarez contra sectas Angliæ lib. 3. cap. 5. num. 7.

19 Dupliciter ergò ex eo textu argumentum desumitur, primò dùm ait, *lex autem maris*, sentiens mari legem imponi posse, quod iurisdictionem, & potestatem requirit, vt in legibus ferendis docent post alios Suarez de legib. lib. 1. capit. 8. & Salas de legib. disp. 7. sect. 1.

20 Secundò quatenus Antoninus admisit legem Rhodiorum, dummodò legibus Cæsarijs non cõtradiceret, ibi: *In quibus nulla nostrarum ei lex aduersetur*, vt ibidem Bart. & cęteri deducunt: iuxta quę aduersatiua illa, *lex autem maris*, non excludit Imperatoris potestatem in mari, sed includit potius, vt ele-

eleganter explicat Alciatus lib. 2. disput. capit. 5. scio verba illa, *lex maris*, pro consuetudine commu niter capi ab interpretibus ibidem, quod explodit Alciatus d. cap. 5. sed tunc fortius vrget, si consue tudine ius maris obtineri possit, de quo infra cap. 13.

21 Tertiò omnem excludit cauillationem Paulus lib. 13. ad Plautium, l. sanè de iniurijs. *Sanè si maris proprium ius ad aliquem pertineat, vti possidetis interdictũ ei competit, si prohibeatur ius suum exercere*, atque per hunc tex. obseruant. Accurs. ibi, & Bart. Balb. de præscript. 4. par. 5. princ. quæst. 6. num. 6. Gregor. gloss. 2. l. 2. tit. 7. par. 3. & glos. 4. l. 11. tit. 28. par. 5. Couar. reg. peccatum 2. par. § 8. num. 10. Mantua lib. 1. locorum cap. 19. & alij passim.

22 Hinc dixit Baldus numer. 2. in rubric. ff. de rer. diuisione, mare, sicut & aridam de iure gentium di uisionem recipere, & in Gulfis Venetorum, & Ge nuensium id probant communiter Bart. d. loco Angelus consil. 290. num. 3. Decius cons. 271. à n. 14. & alij, quos referunt communem dicentes Stra cha de nauigat. à num. 6. Menchaca illustrium ca. 89. num. 16. Capola de seruit. rust. cap. 26. à num. 5. Ægid. l. ex hoc iure 1. tom. cap. 3. à num. 13. ff. de iust. de quo nos latius c. 13. ita vt contrarium per ridiculum vocet Alciat. lib. 2. disp. cap. 5.

23 At Incognitus Doctores tanquam adultores

reijcit:

reijcit:sed cum Iurisconsultorū saltem auctoritatem, vt aliquo iudice lis dirimatur, admittat inuitus, interpretatur Paulum d.l.sane, de diuerticulo maris intra fundum proprium, iuxta Martialis lusum de forminiano Apollinaris lib. 10. Epigra. 30. in emendatis 28.

Si quando Nereus sentit Æoli regnum,
Ridet procellas tutus de sua mensa.

Quis nō rideat restrictionem, & spurium scholiū: defuere ne verba Paulo, qui generaliter loquens de maris iure, apertius de diuerticuli specie non expressisset, si speciatim de eo responderet? Sicut & Marcianus, in fluminis diuerticulo declarauit in l.si quisquam.ff.de diu.præscript. Imò & Vlpianus in præcedenti responso l.iniuriarum.§.si quis, ff.de iniurijs, disiunctiue loquitur in mari, vel diuerticulo, vt ad 5. notabimus cap.seq.

24 Quod autem pungit Incognitus in Pauli responso interdictum vti possidetis competens ei, ad quem ius maris pertinet, ad priuatam causam comparatum, non ad publicam; ad priuatas enim causas accommodata esse interdicta, non ad publicas l.sane.ff.de iniurijs; inde inferens non posse competere pro his, quę iure gentium communi facere possumus, in quibus maris vsus comprehenditur; & consequenter necessariò intelligēdum esse Paulum de maris diuerticulo, quod priuati vtilitati

cedi

cedi potest: sic in effectu intendit, licet non ita explicet.

25 Sed parum fœliciter, tùm quia interdictorum alia ad causas publicas, alia ad priuatas accommodantur docente ipso Paulo, l. 2. §. 1. vers. publicæ. ff. de interdictis: pluresque in Pandectis extant tituli de huiusmodi interdictis, quæ ad causas publicas pertinent, vt de via publica, nequid in loco publico, & alia similia; interdicta verò vtrobi, & retinendæ (de quo egerat Paulus, d. l. Sanè sic explicandus) ad priuatā causam spectat, vt obseruat Iulius Pacius cent. 7. tit. de iniurijs concilat. 58.

26 Tum etiam quia post ius adquisitum in illis, quæ anteà iuregentium communia erant, iam nō agitur de illo iure communi, vt putat Incognitus, sed de speciali, & priuato competenti ei, qui sic adquisiuit, vt multis exemplis illustrari potest, & docet expresse ipse consultus in particula *iam* ibi: *Ad priuatam iam causam pertinet*, & sic insinuat ad publicam anteà causam pertinuisse, & disertis verbis explicauit Donellus lib. 4. cap. 2. sic docens, *occupata (scilicet littora) hactenus populi Romani esse intelligere debemus, non vt sit populi patrimonio, sed vsu, non illo quidem communi vsu, qui prius fuerat, quo etiam barbara*
27 *gentes* (vocat barbaras more Romanorum iuxta illud Martialis in amphitheatro epigram. 1. *Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis*) *iuregentium littoribus*

ribus his vti poterat (iam enim non poßunt, nisi consensu populi, cuius imperio littora subijci cœperunt) sed illo, qui sit publicus ijs omnibus, qui sunt in orbe Romano, & quibus populus Romanus littoribus illis vt suis vti concedit.

28 Aduertendũ est quod Donellus eodẽ iure censet mare, & littus maris tanquã partẽ illius in hæc verba. *Nã si mare, quod ea littora alluit, publicũ est, necesse est & littora, quæ à mari occupantur, manere vsu publica l.pen.de rer.diuis.* hoc est vsu populi Romani post adquisitionem, prout declarauerat, sic clarè sentiens maris ius ad remp. Principẽve pertinere posse iuxta d.l.pen. quam sic exponit.

29 Cum ergò priuatus priuilegio, vel consuetudine obtinuerit ius maris, vt explicant Accurs. & ceteri in Pauli responso d.l. Sanè de iniurijs, poterit vtique ius hoc contra molestantem possessorio interdicto, quod ad priuatam causam pertinet, defendere: quoad Principem verò dicendum est nõ indigere interdictis, cum ius sibi in propria causa dicat Molin. 2. de iust. disp. 103. vers. quare.

30 Quartum nostræ assertionis fundamentum sit, quod quamuis maris proprietatẽ nullius esse cõcedamus; attamen quo ad protectionem, & iurisdictionẽ Cæsaris est, vel Regis, glo. & Bald. in l. Quædam. ff. de rer. diuis. Suarez alleg. 17. Cabed. decis. 46. num. 4. par. 2. quod & ipse Incognitus fatetur d.cap. 5. ibi: *Qui verò dicunt mare aliquod esse imperij*

O Rom.

Rom. dictum suum ita interpretantur, vt dicant ius illud in mare vltra protectionem, & iurisdictionẽ nõ procedere.

31 Hinc descendit posse Principem non solum in portu, vt existimabat Suarez allegat. 17. num. 12. sed & transeuntibus per ipsum mare vectigal imponere, Bald. per text. ibi in l. Cũ proponas. C. de nautico fœnore, & in rubrica. ff. de rerum diuis. numer. 2. decidit Senatus Pedamontaneus apud Octauianum decis. 155. n. fin. rationes explicat Petrus Greg. Syntagm. lib. 3. c. 3. n. 7.

32 Et propterea Veneti qui potissimum in maritimis præualent, dum eligunt Ducem, cumque initiant solemni modo coronatum, iubent mare sibi desponsare iniecto annulo in symbolũ veri, & perpetui imperij, vt referũt Gaspar Cõtarenus lib. 1. de rep. Venet. P. Greg. lib. 3. syntag. c. 3. n. 1. Alex. enim tertius per annuli inuestituram serenissimæ reipub. Venetiarum eiusque nomine Sebastiano Zone Duci 40. maris possessionem concessit, vt tradunt Sabellicus decad. 1. libr. 7. Pined. in Monarchia lib. 25. c. 7. §. 2. & Borrel. de præstantia Regis Cath. c. 46. n. 233. post alios. Quoniam Principi tanquam reipublicæ sponso bona dotis sunt tradenda, vt penes se, dotem habeat, cum matrimonij onera subeat, l. ex ea l. pro oneribus, C. de iure dotium, ad quod alludit quod supra numer. 15. de Thetis emptione, seu Oceani dote ex Virgilij

gilij auctoritate annotauimus.

33 Hinc etiam fit delicta commissa in mari punienda à Principe, ad quem terra, vel imperium pertinet, vt decidunt Cæsares in l. vnica. C. de classicis libr. 11. *Seleucena* (classis) *ad auxiliũ purgandi Orientis aliasque necessitates Comiti Orientis deputetur*, vbi Bart. & omnes Menchac. illustr. capit. 41. num. 32. Bobadilla libr. 2. capit. 16. numer. 4. & capit. 19. num. 2. Ægid. l. ex hoc iure c. 3. n. 35, p. 1. de iustit. & l. 1. par. 2. §. 2. num. 15. C. de sacrosanct. & quamuis Bart. tract. de insula. §. nullius n. 1. id intelligat intra centũ milliaria, verius est ad remotas etiã maris partes extendi ex Ang. in l. insulę. ff. de iudicijs, sic procedit text. in c. vbi periculum. §. porrò de elect. in 6. vbi glos. verb. *territorio*, iunctis resolutis per Cæpolam de seruit. rust. ca. 26. nu. 6. 24. & 26. Suar. alleg. 17. n. 1. Cab. decis. 46. n. 1. p. 2. Cald. de empt. c. 22. n. 13. Riccius resol. var. resol. 13. resoluentes terræ territorium comprehẽdere mare, & illud terminis diffiniri, de quo est celebris textus in ca. licet de ferijs, vbi glos. quem citant Suar. & Cabed. n. 2. vbi proximè, dum probat quod mare attribuitur terræ circunstanti.

34 Sic & bulla Pontificia excipiens viarum grassatores, ne gaudeant immunitate Ecclesiæ, comprehendit quoscumque piratas in quocumque maris districtu ex Ioan. Riccio in praxi fori Ec-

35 clesi.resol. 13. ¶ Admitterē tamen Bart. sententiā circa centum milliaria respectu vectigalis, vt per Octau. & alios, quos refert decis. Ped. 155. n. 2.

36 Et quamuis Incognitus hanc protectionē in mari agnoscat, vt tamen difficultatē effugiat, respondet eā protectionē de iuregentiū competere æqualiter nō minus Imperatori, quā alijs Principibus, cum agatur contra piratas, ibi: *Nec satis animaduertunt id ipsum, quòd populus Rom. classes præsidio nauigantium disponere potuit, & deprehensos in mari piratas punire, non ex proprio, sed ex cōmuni iure accidisse, quod & aliæ liberæ gentes in mari habent*, ita Incognitus d. c. 5. Nos autē replicamus id verū esse ante præoccupationē omnibus cōpetere, post eā verò illius procul dubio erit, qui suis sumptibus mare tutū à piratis reddēdi onus in se suscepit, vel cui Prouinciarū adiacētiū Imperiū pertinet, vt constat ex Cæsarea decis. in d. l. Vnica. C. de classicis lib. 11. sic præoccupans præferendus erit ex reg. Qui prior in 6.

37 Sic futurū est, vt nec illicitæ merces ad barbaras gētes deferantur cōtra prohibitionē tituli. C. quæ res exportari, & naues, quæ à portu dimittūtur, vel aliunde iter faciūt, nulla damna sustineāt, ex l. Vnica. C. de littor. & itinerū custod. & ob id tributū solui ab omnibus gētibus testatur Gre. lib. 3. synt. c. 3. nu. 7. post Bald. in rub. n. 2. ff. de rer. diuis. affirmāt id ab omnibus vbique gētiū approbatū.

Nec

38 Nec huic iurisdictioni,& occupationi repugnat vel maris imměsitas,vel natura & qualitas , vt pungit Incognitus.Nam quoad immensitatem, argumentum concludit non posse omnem Oceani tractum occupari, idque propter nostram impotentiam,non tamen inde sequitur, nec partem occupationis capacem esse.ita post hæc inueni apud Vuezembec.in §.1.num.4.Inst.de rer. diuisione; *vsum* (ait) *maris atque aeris(hæc enim naturaliter propter vastitatem,fluxumque vagum,integrè occupari non possunt)omnibus hominibus communem decernit Celsus l.4.ne quid in loco publico*,nota verbũ , *integrè*, videndus omnino idem in §.flumina n.7. Inst. de rer.diuis.distinguens vsum maris,& littorum ante,& post occupationem.

39 Sic & in arida multa deserta & in Asia , & in Africa reperiuntur adhuc ab hominibus inculta, & reuera Zonam torridam,quę magna orbis pars est , inhabitabilem fuisse ante Christum natum multis probat Bossius de signis Ecclesię libr. 15. cap. 18. magna alia terrarum deserta , & vastissimas solitudines referens,& Cicer. in somno Scipionis,ait, *vides habitari raris, & angustis in terra locis, & in ipsis quasi maculis vbi habitatur, vastas solitudines interiectas*, huc pertinet auctoritas Thucididis ab Incognito adducta,de qua supr.num.4.

40 Et ex omnium etiam Incogniti suffragio pars

 maris

maris terrę ad iacẽs ad illius dominium pertinet, ad quem & terra: circa spatium verò discordant scribentes, vt aduertimus supra à numer. 33. Ergò cùm ille maris districtus à iure naturali non diffinatur, cõsequẽs est dicamus, & Imperio, ac iurisdictione prolatari posse, vel restringi ex dominantis potẽtia, sicut & in arida maioribus, minoribus ve territorijs vrbes circunscribuntur.

41 Aduertendum tamen notabiliter est vltra hũc maris, terræ (cui subest) adiacentis districtum, iurisdictionẽ maris competere Imperatori, vel protectori, ita vt iurisdictionem in terra habentes habeant etiam in mari vsque ad certum terminum, vltra verò solum Imperatoris, seu protectoris iurisdictio sit, vt post Bart. tradit Cæpola de seruit. rust. cap. 26. num. 17. vt hinc tacitę obiectioni satisfaciamus, de qua cap. 14. num. 49.

42 Minus obstat mare detineri, ac occupari nõ posse, sicut nec aerem, nec aquam profluẽtem, & ideò hæc naturali iure communia omnium esse respõdit Marcianus in l. 2. ff. de rer. diui. Imperator §. 1. Inst. de rer. diuis. Distinguẽdum namque est inter elementa maris, fluminis, & aeris, & inter loca ipsorum: nam si considerentur, vt elementa, nec detineri possunt, nec occupari, cùm huc & illuc circunferantur.

43 Per contrarium vt locis circunscripta conside-

 rata,

rata, occupari quidem possunt, vt in flumine priuato probat Vlpian. in l. 1. §. fluminum cum seq. ff. de flumin. & hanc differētiam in flumine, quòd ex aqua, & alueo constet, obseruant Cępol. de ser. uit. rust. cap. 31. num. 6. ad finem & Beroius q. 94. deduciturque ex Vlpiano in l. 1. §. 1. ibi: *Flumen à riuo magnitudine discernendum est*, ubi glos. ff. de flumin. & Caio in l. adeò. §. quod si, ibi: *Toto naturali alueo relicto flumen aliàs fluere cœperit*. ff. de adquiren. rer. domin. in quibus distingunt aquam ab alueo: huc spectat altera consideratio inter aquam simpliciter, & aquam, vt fluminis de qua Baro. in l. 6. de rer. diuis. & Donel. lib. 4. c. 2. col. 2. & nos cap. seq. ad vlt.

44 Sic & in aere omne cœlum, quod est supra nostram rem, quasi occupatione nostrum quoque esse fieri respondent Pompon. in l. penult. ff. quod vi, ibi: *Tàm soli, quàm cœli mensura facienda est*, & Venuleus in l. fin. §. pen. ff. quod vi, ibi: *Sepulchri sic non solum is locus, qui recipiat humationem, sed omne etiam supra id cœlum*, ideò ait Paulus in l. fin. ff. de seruit: *Cœlum quod supra nostrum solum intercedit, liberum esse debet*: ex quo prouenit ius altius ædificandi vsque ad cœlum l. altius. C. de seruit.

45 Inde quoque fit aeris excipiendi gratia alienos agros ingredi non licere, vt post Conan. quem refert obseruat Osuald. ad Done. lib. 4. c. 2. litter. C.

46 Et qui à priuatæ domus ianua in cœmeterium Ecclesiasticum se proiecit, & in aere deprehensus vt gaudeat immunitate Ecclesiæ, decisum Neapoli legimus.

47 Sic tãdem cum mare in terra, hoc est alueo suo fundatum sit, terra enim inferior est sphæra, occupari posse, & ratio postulat, & hoc fundamẽto defendit Bald. num. 2. in rubrica. ff. de rer. diuis.

48 Vnde nostris moribus mare, & littora quodãmodo in dominio, & iure principum, & magistratuum haberi cœperunt, vt tradunt Huberrus Gifanius ad l. 50. num. 4. ff. de adquir. rer. domin. Ioan. Bodinus lib. 1. de repub. cap. 12. pagin. 267. Osuald ad Donel. lib. 4. cap. 2. littera E. post alios

49 quos refert, ¶ & magis in specie de Hispaniæ Regum iurisdictione, & dominio in Oceano Borrel. de præst. Regis Cath. c. 46. à n. 227. & alij cap. 7. & seq. relati.

50 Ex quibus deducitur iurisconsultorum responsis, Cæsarum decisionibus, scribentium sententijs, & gentium moribus, maris occupationem dari posse, quibus autem actibus, & quo tempore id consequamur c. 13. differendum erit, efficacius autem hæc assertio comprobabitur ex argumentorũ solutione, de qua cap. seq.

Svm-

SVMMARIVM.
Cap. XI.

1 *Mare an sit omnibus de iuregentium commune.*
Littora sunt eiusdem conditionis, cuius mare.

2 *Seruitus priuata mari imponi non potest, publica sic.*
L.Venditor.ff.communia prædiorum.
Argumentum à contrario sensu validum in iure.

3 *Seruitus aquæ ductus, & itineri à priuato non imponitur, à Principe impetratur.*

4 *Mare omnibus commune à Principe occupari potest.*
Libera nauigatio alijs prohiberi potest.

5 *Littora sunt communia omnibus ante occupationem, postea verò sunt Principis occupantis.*
L.Quod in littore.ff.de adquir.rer.dom.

6 *Mare & littora post occupationenem dicuntur publica hoc est populi Romani.*
L.Penul.ff.de rer.diuis.

7 *Maris, littorũ, & aeris diuisio in totum non admittitur, sed proparte.*

8 *Nemo ad litus accedere prohiberi potest.*
L.Nemo igitur.ff.de rer.diuis.
Romanus populus potest à suis littoribus hostes, & alios prohibere, suisque tantùm illa concedere.

9 *Ædificare, & occupare cuilibet licet de iuregentium in littoribus, nisi sint propria populi Romani.*

10 *Ædificare in littoribus si est priuatus vsui publico nocere non potest.*

11 *Flumina sunt publica, hoc est populi Romani.*
§.Flumina Inst.de rer.diuis.

Theophilus institut. compilator.

12 *Nauigare nemo prohiberi potest à priuato, à Principe vero sic.*

Nauigatio est populi, licet aquæ vsus sit communis.

13 *Prohibere aliquid in mari priuatus nequit ad impediendam nauigationem.*

14 *Interdictum ne nauigatio impediatur priuatum est, & attenta origine rerum.*

15 *L. Nemo igitur. ff. de rer. diuis.*

Litus maris occupari potest.

Mare est commune de iuregentium, & per hoc littora maris.

Occupari quod potest, an sit de iuregentium.

16 *Piscari an possit quis prohiberi, & præscribi piscatio?*

L. Si quisquam. ff. de diuers. & tempor. præscrip.

L. vlt. ff. de vsucap.

17 *Intellectus varij ad prædictas leges.*

18 *Præoccupatio in rebus publicis præualet.*

19 *Verbum,* obtinere, *refertur ad possessionem.*

20 *Possideri quæ possunt, possunt & præscribi, & quæ dominio adquiri non possunt, non possunt possideri.*

21 *L. Si quisquam de diuers. & tempor.*

Titulus insufficiens dat causam præscriptioni.

22 *L. vlt. de vsucap.*

23 *Præscriptio, & priuilegium concurrere possunt.*

Cap. veniens de præscript.

24 *Ius piscandi in flumine, vel mari occupari, & donari potest*

potest à Principe, & numer. seq.

Publica possunt fieri priuati per Principem.

Venari potest concedi, & prohiberi à Principe.

Imperator potest prohibere deduci aquam ex flumine publico.

25 *L. Iniuriarum. §. si quis me. ff. de iniurijs contra Incognitum.*

26 *Publica loca præscribi ex Romanorum more, non tamẽ adquiri per alios modos prohibentur.*

27 *Publica loca etiam quoad dominium occupari possunt per ædificium, vel piscationis ius.*

28 *L. Littora ne quid in loco publico, & num. 30.*

29 *Mare, & littus non sunt diuersæ condicionis pars, & totum sunt eiusdem naturæ.*

L. Penult. ff. de rer. diuis.

30 *Maris communis vsus omnibus hominibus quomodo accipiatur.*

31 *Mare inter, & littus differentia ante, & post occupationem.*

§. flumina Inst. de rer. diuis. in verbo, omnibus hominibus, *explicatur.*

32 *D. Ambrosius damnat nauigationem, & maris imperium ex ambitionis vitio.*

Bataui olim in mari, & à quis non magni.

33 *Nauigatio an sit de illis rebus, quæ omnibus vtilia nobis non molesta sunt.*

Publica iuris gentium quæ sint cognitione difficili.

34 *Aquæ vsus qui consistit in bibendo, hauriendo, lauando est omnibus communis.*

35 *Piscari, & nauigare in alieno lacu non licet.*
Ord. lib. 5. tit. 91.
Piscationem, & venationem prohibere potest dominus in re propria.

36 *Fluminis vsus qui consistit in nauigando, & piscando communis est priuatiuè vnius populi.*

37 *Nauigationem, & mercaturam omnibus communia esse sine detrimento alicuius, falsum probatur.*

38 *Maris occupationem dari posse concluditur.*

39 *Nauigatio simplex, & piscatio non tribuit ius occupationis.*

40 *Nauigatio Lusitanorum non impedit alios Oceani vsu.*
Bataui nauigant per Oceanum, & mare Hispanicum.

41 *Conquistæ Regum Lusitaniæ multo sanguine, & sumptibus comparatæ.*
Septemtrionis pars adhuc incognita.

Respon-

Responsio ad argumenta Incogniti contra præcedentis capitis resolutionem.

Cap. XI.

1 NON obstant quæ adducit Incognitus contra resoluta in præced. capite: non primum dum intendit mare omnium hominum de iuregentiũ commune esse. Idque duplici fundamento; primo ex Philosophorum auctoritate, cui satisfaciemus ad vltimũ: Secundo ex Iurisconsultorum responsis, primò ex Vlpian. sent. in l. Venditor. ff. communia pręd. dùm dicit, *mari, quod natura omnibus patet seruitus imponi non potest*: Secundò ex Neratij responso in l. Quod in littore. ff. de adquir. rer. dom. dùm, *littora ita publica esse* ait *vt ea, quæ primum natura prodita sunt, & in nullius adhuc dominium peruenerunt*, littora autem, & mare eiusdem sunt conditionis, l. pen. ff. de rer. diuis. scilicet publica, hoc est omnium gẽtium ex Incogniti interpretatione.

2 Sed ad primum cum eodem Vlpiano quem diminutè Incognitus citat, respondetur, qui in hæc verb. *Quamuis mari, quod natura omnibus patet, seruitus imponi priuata lege non potest*, infert modo Incognitus; si priuata lege imponi non potest mari serui-

tus,

tus, ergò nec lege Principis supremi: Iurisconsultus verò, apud quem argumentum à contrario validum est leg. 1. ff. de offic. eius, sic inferet. Mari seruitus imponi priuata lege non potest, ergò poterit publica (quid autē hic significet lex quidquid Incognitus non aduertat, explicabimus capit. 14. num. 21.) sic infert Accursius, cum quò transeunt omnes ibi, & Cæpola de seruit. rustic. cap. 26. nu. 1. Quòd autem Incognitus vult priuatam legem respicere etiam Principem supremum respectu omnium gentium, id nec probat, imò repugnat & rationi, & Iurisconsultorū respōsis, dixissetque Vlpianus simpliciter, mari seruitutem imponi nō posse, nec opus erat addere, *priuata lege.*

3 Sic & itineri, publicæ ve viæ, quæ sunt omnibus communia l. 2. §. 1. ff. ne quid in loco pub. seruitus aquæ ductus à priuatis non imponitur, à Principe tamen impetrari solet, vt respondet Paulus in d. l. seruitutes. §. publico. ff. de seruit. constatque ex alijs exemplis de quibus infra n. 24.

4 Ego autem ex eodem Pauli responso, & mente in d. l. venditor, sic deduco: mare omnibus est cō mune in terminis iurisgentium, si verò à Principe occupetur, & seruitus imponi potest, & libera nauigatio alijs prohiberi, vtrumque enim agnoscit Paulus, & ita retorquetur contra Incognitum.

5 Eodem modo non obstat Neratij decisio in d. l.

d.l. quod in littore. Agit enim generaliter de litto ribus antequã in alicuius dominium venerint, vt constat ex particula, *adhuc*, & ita non negat venire posse: *quæ cum communia omnium sint. §. 1. Inst. de rer. diuis. placuit hoc ita esse, nisi ab aliquo populo occupata Imperio eius teneantur: caterum occupata fieri eius populi, à quo occupata sunt, de quo ita Celsus in l. 3. ff. ne quid in loco publ. littora, in quæ populus Rom. Imperium habet, populi Romani esse arbitror, populus Romanus in ea littora Imperium habere intelligitur, quæ ipse occupauit, vt potestatis, & Imperij sui faceret*, hęc Donellus lib. 4. cap. 2. (quẽ Incognitus in contrarium citat) *inde inferens populum Romanum ista occupatione hoc consequi, vt ab his littoribus rectè arceat, tum hostes, tum barbaros, idque cum faciat, nihil videatur facere contra ius gentium.* Idẽ docuerat ante Vuesembecius numer. 4. in §. flumina Inst. de rer. diuis. in hęc verba, *quod igitur à populo Roman. occupatum, & quæsitum est, amplius commune non est, itaque littora etsi natura, & origine sint communia, l. quadam de rerum diuis. tamen postquã, & quatenus occupata sunt, fiunt, vel priuatorum, d. l. quod in littore, vel populi, qui occupauit, vnde littora, in quæ populus Rom. Imperium habet, non nullius amplius, vt nõdum occupata, & iure gentium communia, Celsus esse vult, sed disertè ait esse populi Romani l. 3. ne quid in loco publico*, idemque resoluit Claudius §. & quidem Inst. de rerum diuis. citatus infra cap. 13. n. 11.

Et

6 Et in interpretatione publici iuris refellitur etiam Incognitus, si cum Donello obseruemus lib. 4.ca.2.ad fin. littora, quę à mari occupantur, dici publica in l.pen.ff.de rer.diuis.non omnium gentium, vt vult Incognitus, sed vsu populi illius, cui subsunt, vt cap.præcedenti num.28. iam aduertimus.

7 Hinc deducitur conciliatio inter scribentes, dùm alij dicunt aerem, mare, & littora maris in alicuius gentis potestatem non venisse, aut venire posse ex Neratij sententia in d.l.quod in littore, vt Faber in §.fluminum num.2.Instit.de rer.diuis.& Donellus lib.4.cap.2.vers.habentur; & dùm alij diuisionem littorum, & maris admittũt, vt supra ostendimus, & probat Bald.in l.Si testamentum. C.de instit.& substit.Cępola de seruit.rustic. ca. 26.num.24.& 25.Suarez allegat.17. num. 1. & 2. Auend.de exeq.1.par.cap.4.col.6.vers. sequitur; & Cabed.decis.46.num.1.& 2.p. 2. Quòd primi intelligantur de vniuersa aeris, maris, & littorum diuisione, alij verò de parte: cùm & priores & Iurisconsulti admittant statim & maris, & littorũ occupationem, & iurisdictionem, vt constat ex Celso d.l.3.ne quid, in loco publico, & Donel. supra, communis ex Osualdo d.loco littera F.ad Donel.d.c.2. & sententiunt Vuesemb. & Claudius relati n.5.supra.

Non

8 Non obstat secundum quod nemo à populo Romano prohiberi potest ad littus accedere, & ibidē retia siccare, l. Nemo igitur. ff. de rer. diuis. l. Riparum eod. ita Incognitus ca. 1. & 5. sed quia illi mos est Iurisconsultorum responsa, vel diminutè, vel cū additione citare, audiamus Marcianū *Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur piscandi causa*, vbi populi Romani facta non est mentio, & ex Celsi in l. 3. ff. ne quid in loco pub. sententia cō stat posse populum Romanum à suis littoribus quoscumque excludere, illorumque vsum suis ciuibus, & illis, quibus voluerit concedere, vt deducit Donel. relatus n. 5. supra eodem, & Vlpianus piscationem Principis in aliorum exclusionem admittit in mari, licet ibidem dicat omniū commune esse in l. Iniuriarum. §. si quis. ff. de iniurijs.

9 Aliàs enim sequeretur, quòd post populi Romani occupationem in littoribus, liceret cuilibet extraneo ędificare, & occupare prout Marcian. in l. In tantum. ff. de rer. diuis. ius hoc cuilibet cōcedit, & Incognitus intendit, sed hoc negant Vues. in §. flumina n. 7. Inst. de rer. diuis. Eguinar. Baro in l. Sed diui. ff. de rer. diuis. Donel. & Osual. libr. 4. c. 2. & constat expresse ex d. §. si quis.

10 Gratis autem accipiendū est, quod Iurisconsulti responso addit Incognitus, populi Romani, seu Imperatoris occupationē, vt priuatā accipiendā,

ne vsui gentium publico noceat, quemadmodũ nec priuatus ędificando nocere poteſt,l.in littore ne quid in loco publico,ita inquiens c.5. pag. 22. *Cæterum hæc occupatio nō minus, quam priuata ita reſtringenda eſt, ne vlterius porrigatur, quam vt ſaluus ſit vſus iuriſgentium,* non diſtinguens inter priuati,& Imperatoris poteſtatem,prout in his diſtinguere ſolet Iuriſconſulti,& ſcribentes, vt conſtat ex reſponſione ad primum,& infra ad quintum, & reſtringens Marciani reſpōſum in l.Si quiſquā de diuer.

11 Hinc facile intelliges Iuſtinianum in.§. flumina Inſt.de rer.diuiſ.ſic decidentem *flumina omnia, & portus publica ſunt, ideoque ius piſcandi omnibus commune eſt in portu, fluminibuſque.* Nā verbũ, *publica*, ideſt populi Romani ex Theophilo, vndè verbũ, *omnibus*, ſubſequēs ad Romanos referendũ eſt ex illationis vi, vt eleganter deducit Eguinarius Baro ibidē, quæ explicatio præualere debet, vt potē facta à legis cōditore(ſic Theophiliũ appellare libet in hac cōpilatione) cui interpretādi ius eſt ex reg.l.fin. C. de leg. quo pacto explicāda ſũt ſimilia Iuriſconſtorum reſponſa.

12 Hinc etiā fit quod licet nauigare in mari nemo poſsit prohiberi ex Vlp. in l.2.§.ſi quis in mari.ff. ne quid in loco publico,& in flumine publico nauigare liceat ex eod.Vlp. in l.Vnica.ff. vt in flum. public.naug.hoc procedit vt quis à priuato naui-

gare

gare impediri non possit, sed ab eo, qui habet iura Regalia in illo destricto, potest prohiberi, vt docet Bart. in Rub. ff. vt in flumine, receptus ex Stracha de nauig. à n. 6. & ita quamuis hauriēdi ius omnibus hominibus cōmune sit, l. Quædā de rer. diuis. Nauigatio tamē populi vnius esse potest ex Barone in §. flumina Inst. de rer. diuis. & Osuald. ad Donel. lib. 4. ca. 2. in fine, de quo latius ad vltimū.

13 Quòd autē tradit Vlp. in l. 2. §. aduersus. ff. ne quid in loc. pub. nō licere aliquid in mare proijcere in alterius præiudiciū, de priuato proijciēte explicādus est, prout illud interdictū cōtra priuatos cōpetit, vt ex prætoris edicto cōstat: vnde reijciendus est Incognitus ad fin. 2. argum. qui cōtra supremos etiam Principes illud inducebat.

14 Non obstat tertium ex Vlpiani respōso in l. 1. §. si in mari. ff. de flum. de quo c. 10. n. 10. Refellitur nāque eodem modo, quo soluta est ex eodē Vlp. eodem tractatu, hoc est libr. 68. ad edictum obiectio in fin. præcedentis argumenti. Hæc etiam interdicta competunt attento statu naturæ, & origine rerum, eo verò mutato variabitur, & rerum conditio iuxta supra resoluta, de quo ad quintū.

15 Non obstat quartū, quod quid occupatum est, occuparivè potest, id non est iurisgentiū, sicut & mare teste Marcian. in l. Nemo igitur de rer. diui. Marcian. ipse pro se respondeat, *Nemo ad littus maris accedere prohibetur piscandi causa, dùm tamen villis,*

 monu-

monumentis, & ædificijs abstineat, quia non sunt iurisgentium, sicut & mare, quis ex his verbis deducat nisi Incognitus, quidquid occupari potest non est iurisgentiũ, sicut & mare, leges suo marte figens atque refigens? cũm propositio hæc in iurisprudentia, & noua, & erronea sit, nam littora sunt iurisgentium ex Marciano l. Quædam. §. & quidem. ff. de rer. diuis. §. & quidem Inst. eod. *& quidem naturali iure omnium communia sunt illa, aer, aqua profluens, & mare, & per hoc littora maris,* verba, *naturali iure,* de iuregentium exponunt interpretes, quo rerum dominia fuerunt distincta ex Barone §. flumina, Inst. de rer. diuis. sed littora occupari possunt, & in ea populus Romanus Imperiũ habere potest, l. 3. ff. ne quid in loc. publ. & quilibet ædificare, & cõstruere ex Caio l. Riparũ. §. fin. ff. de rer. diuis. Vlp. l. fin. ff. de vsuc. & ædificãs adquirit dominiũ ex Marciano, l. In tantum. ff. de rer. diuis. ibi: *In tantum, vt & soli domini constituãtur, qui ibi ædificãt,* quod etiã de iuregentiũ cõpetit ex Scęu. l. In littora. ff. ne quid in loco publ. *in littore, ait, iuregentiũ ædificare licere,* quod ęqualiter procedit in mari ex Põponio l. Quamuis 50. ff. de adq. rer. dom. ibi: *Quod in littore publico, vel in mari cõstruxerimus, nostrũ fiat,* itẽ de iuregẽtiũ cõpetit vnicuiq; piscari in mari l. Iniuriarũ 11. §. si quis me in mari piscari prohibeat. ff. de iniur. & in eo tota Incogniti disputatio versatur, & tamẽ hęc piscatio ab alio occupari potest d. §. si

quis

quis, ibi: *Conductori autem veteres interdictum dederunt, si fortè hoc publicè conduxit*, & pluribus alijs exẽplis de quibus infra n. 24. cũ seq. illud autẽ aduertẽdũ erit maris occupationẽ, & possessionẽ verè, & propriè dari nõ posse, quẽadmodũ in terra datur, hæc enim pedibus possidetur l. 1. ff. de acq. pos. illud verò nauigatione, aut piscatione quasi occupatur, & adquiritur iuxta ipsius naturã d. § si quis me in mari, cũ vers. seq. l. Sanè. ff. de iniur. vnde nihil cõcludit Incognitus dùm ait, quòd mare exigua tãtũ parte occupari potest. Agit enim de vera occũpatione, & apprehẽsione, nos verò de iure maris, quòd cõsistit in nauigãdo, aut piscãdo & ideò impropriissimè cõfundit terminos, & quæstionẽ.

Quòd & de aeris quoque loco probauimus c. 10. à n. 44. idem de aquæ profluentis, hoc est fluminis alueo d. c. 10. num. 42. cum seqq. hæc etiam occupari, & possideri possunt.

16 Ad quintum de iure prohibendi in diuerticulo maris, vel fluminis, si quis diu piscatus fuerit ex Marciani responso, l. si quisquam. ff. de diuers. & tempor. inferebat Incognitus id procedere durãte occupatione, ne discrepet Papinianus in eadẽ hypothesi cõtrariũ respondens, l. fin. ff. de vsuc. intendit Incognitus ex hac cõciliatione ius piscãdi in mari, vel flumine publico iure gentium omniũ hominũ cõmune esse, ita vt nec prẹscriptione pro

hiberi posſit, ni dùm quis in piſcandi vſu per plures annos perſeuerauerit.

17 Sed in horum iurium interpretatione varios intellectus aſsignant Cuman. & Cuiat. in d. l. fin. Conan. libr. 3. cap. 15. num. 1. Forcat. dialog. 85. Aymon de antiquit. 4. part. ca. de materia à num. 81. Zazius antinom. 2. part. numer. 1. Charondas lib. 1. Veroſ. capit. 21. concil. 3. Robertus libr. 1. recept. cap. 17. Pinel. libr. 1. ſelect. cap. 14. num. 2. Iulius Pacius cent. 7. quæſt. 1. Nicolaus de Paſſer. in concil. legum pagin. 475. Suarez alleg. 16. num. 3. & allegat. 17. num. 5. Mench. Illuſtr. cap. 89. num. 13. Guibertus lib. 1. quęſt. cap. 17. numer. 36. Cou. reg. peccatum 2. part. § . 8. num. 10. verſ. 6. Auend. lib. 1. de exeq. cap. 12. nu. 11. & 12. Alfan. collect. 65. Pichard. §. 2. numer. 2. Inſtit. de rer. diuiſione Donell. lib. 5. capit. 22. vbi Oſuald. poſt alios, quos referunt: obtinuit communis, quam Incognitus ſequitur, Papinianũ loqui de pręſcriptione quoad adquirendum dominium, Marcianum verò de iure poſſeſsionis, & occupationis ad effectum, vt alij prohibeantur, ita Angelus conſ. 290. Iaſon in l. Quominus à n. 97. de flumin. Balb. de præſcript. 4. par. quintę principalis q. 6. n. 26. & alij excitatis.

18 Sed defendi nequit, quia aut intelligit de actuali præoccupatione, & in ea ſpecie quid opus erat tot annorum curſu cum momento præoccupans

alium

alium posteà accedentem piscari prohibere possit ex reg. Qui prior est tempore in 6. docet in specie gloss. verb. ad obtinendum in l. 2. ne quid in loco publico recepta ex Bart. & alijs ibi Parisius cons. 129. n. 9. vol. 4.

19 In Secundo verò membro displicet quoque ex eo, tùm quia offendit generalitatem vtriusque textus; de Vlpiano constat, qui generaliter negat præscriptionem ad obtinenda loca publica, quæ verba propriè referuntur ad occupationē, & possessionē, per quam res tenetur, & occupatur arg. text. in l. Clam. in princip. ibi: *Ratio obtinendæ possessionis*. ff. de adquir. possess. & reg. 1. in 6. ibi: *Obtineri*, sentit Cuiat. verb. ad obtinenda in d. l. fin.

20 Tùm etiam quia nullo iure probari potest non posse præscribi ea, quæ iure possessionis per longū vsum possunt ab aliquo retineri, & è conuerso ea, quę sunt iure gentium publica, & dominio adquiri non possunt, quoad vsum iure possessionis, & occupationis ab aliquo obtineri posse cum facultate alios prohibendi; cum per hanc occupationē non minus offendatur iusgentium, quo vsus omnibus conceditur, prout eleganter aduertit Craueta d. cap. materia nume. 83. contra Angel. cons. 290. & alios.

21 Vndè verior videtur intellectus Accursij gloss. 2. in l. Si quisquam. ff. de diuersis, & verb. datam in

fin.l.fin.ff.de vsucap.l.Sanè.ff.de iniuriis in specie Marciani pręcesisse titulum,vel rescriptum Principis,licet ex aliquo defectu insufficiens causam tamen pręscriptioni præbens, in hypothesi verò Papiniani nuda proponebatur præscriptio : nec hæc diuinatio est,vt pungit Nicol. de Passerib. in legum concil.pag.476. num. 10.&.11. nam licet Marcianus non exprimat,supponit tamen piscantem acquisisse ius ex longa piscatione, quòd absque titulo, & bona fide dari non poterat , quia possessor attenta illa rubrica,quæ inter exceptionum rubricas collocatur,agebat de exceptione resultante ex pręscriptione acquisita contra alium, qui anteà solus in eo diuerticulo ius piscandi adquisierat:id quod non posset absque priuilegio, vel titulo,per quem ius illud priuatum efficeretur:& de hoc iure quod solus alter vteretur,quęstio erat,& de eo Consultus respondet,& verba cō sonant.

22 Per contrarium verò Papinianus agit de iure piscandi,quod existebat publicum iure gentium , vt patet ex principio textus , ibi : *Præscriptio longuæ possessionis ad obtinenda loca iure gentium publica,concedi non solet*, quod significat ipse, dùm absolutè prohibitionis rationem reprobat , ex eo solum quod prohibens solus pluribus annis piscatus fuerit;& confirmatur quia in pandectis florentinis

tinis deest particula, *vti*, & ita dicit *alterum eodem iure prohibeat*, non verò, *vti prohibeat*, vt in aliis circunfertur, & ita verba illa non respiciunt idem ius piscationis, sed ius exceptionis, de quo egerat Consultus in versic. præcedenti, ibi: *Exceptionem opponat.*

23 Nec obstat obiectio Accursij verbo, prohibet in l. Si quisquam. ff. de diuers. frustra requiri præscriptionem, imò rescriptum, & prescriptionem sibi inuicem repugnare, vt decidit Innoc. III. in cap. veniens de prescription. cui difficultati succumbit Nicolaus de Passer. vbi supra, nam requiritur prescriptio, quia supponit priuilegiũ ob aliquem defectum per se non sufficere ad acquisitionem iuris piscandi; vndè attenditur illud vt titulus prebens causam præscriptioni, & in hunc sensum concurrit simul cum præscriptione iuxta Bonifacij VIII. decretum capit. cum persone de priuil. in 6. ibi: *Sed tale est, quod saltem causam præbeat præscribendi*, vbi notauit gloss. verbo, munitos, & iuxta Imperatoris decisionem l. Vltim. C. de fundis patrimon. libr. 11. resoluunt vltra ordinarios, Balbus de præscription. 5. part. quinte numer. 30. Auendanus libr. 1. de exequend. capitul. 1. numer. 21. versicul. 4. & in nostra specie Decius consil. 270. num. 6. Innocentij verò decisio procedit

vbi tenor priuilegij erat contrarius præscriptioni, prout ibidem notauit glossa, verbo, intentionis, probata per omnes ex Panor. num. 19. Paris. numer. 11. & alijs ibi: eo maximè, quia priuilegiũ in illa specie non præcessit, sed subsequutum est, vndã non poterat præscriptioni causam prestare, vt rectè argumentatur Pontifex.

24 Constat igitur ex dictis ius piscandi occupari, & donari posse à Principe, licet enim attento iure gentium, & interim dùm illud perdurat, vsus piscandi in mari, vel flumine publico, sicut & venandi, & similium, publicus sit, & omnibus competat; vt respondent Iurisconsulti l. Nemo cum seq. ff. de rer. diuis. §. flumina, Inst. eod. nihilominus tamen ex iusta causa potest Princeps, vel qui ab eo potestatem habuerit, isthæc omnia immutare, & efficere, vt vsus maris, fluminis, & similium publicus esse desinat, & fiat iuris priuati, ita vt titulo oneroso, vel gratuito aliquibus tantummodo competat, & alijs omnino interdicatur, vel vt certis tantum temporibus, locis, & modis piscari liceat, seu venari, vt constat ex Vlpiani responso, l. Iniuriarum. §. si quis me. ff. de iniurijs, qui disertè distinguit inter diuerticulum, & mare inqueins, *si quis me prohibeat in mari piscari, vel euerriculum iniuriarum iudicio posse conueniri*, limitat, *conductori autẽ veteres interdictum dedere, si fortè publicè hoc conduxit*, subscribit

cribit Paulus in seq. responso l. Sanè. ff. de iniurijs Vlpianus l. venditor. ff. communia præd. à contrario sensu, vt notauit Accursius glos. 4. ab omnibus receptus; sic Pomponius, l. Quominus. ff. de flum. licet aquam ex flumine publico deducere omnibus liceat, posse tamen Imperatorem, vel Senatum id vetare decernit, & ita obseruant Bart. in rubr. ff. vt in flum. publico, Angel. & alij instituta rij in §. flumina, Inst. de rer. diuis. Decius consil. 196. num. 270. column. 4. Couar. reg. peccatum 2. p. §. 8. à num. 1. & 10. Roland. cons. 9. n. 18. libr. 2. Auend. lib. 1. de exequend. cap. 12. à numer. 11. Cabed. decis. 54. par. 2. Molin. de iust. 2. disp. 105. col. 1. ad fin. & Marcus decis. 529. num. 16. par. 1. post alios.

25 Ego vnico argumento totam Incogniti disputationem euerto in hunc modum: nauigatio, & piscatio in mari eodem iure naturali, vel gentium regulantur ex Incognito cap. 5. ibi: *Quæ autem nauigationis, eadem piscatus habenda est ratio, vt communis maneat omnibus*, vt ipse annotaui cap. 10. numer. 7. sed piscatio in mari à rep. Principe ve supremo occupari, acquiri, & donari potest, ex d. §. si quis me: in mari igitur; & nauigatio in mari à rep. Principe ve supremo acquiri, & concedi potest, soluat Incognitus, & erit mihi magnus Apollo, sed aliter sic libet argumentari: mare commune omnibus

est

est d. §. si quis, ibi: *Si quem ante ædes meas, vel ante prætorium meum piscari prohibeam, & quidem mare commune omnium est, & est sæpissimè rescriptum non posse quem piscari prohiberi*, & adducitur ab Incognito d. cap. 5. pag. 25. & tamen publico conductori competit interdictum contra alios, ex d. §. si quis igitur. Laudanda autem est Incogniti dexteritas, nã dùm Iurisconsultus in hoc §. probat non posse aliquem piscari prohiberi in mari, illum sæpius citat, dùm verò idem Vlpianus contrarium constituit in conductore publico, tùnc Incognitus in diuersa parte metamorphoseos arte vtens, cõuertit mare in flumen d. ca. 5. pag. 25. dicens, ***non enim maris eadem, quæ fluminis ratio est, quod cum sit publicum id est populi, ius etiam in eo piscandi à populo, aut Principe concedi, aut locari potest, ita vt ei, qui conduxit, etiã veteres interdictum dederint, l. Iniuriarũ. §. si quis me. vers. conductori, de iniurijs, quæ conditio in mari euenire non potest***, cum tamen Vlpianus bis in maris vsu loquatur, quod ipse Incognitus contra nos adducit.

26. Aduerto etiam in specie Vlpiani in d. l. vltim. in princip. ff. de vsucap. vnum singulare, dùm dicit publica loca per præscriptionem nõ solere obtineri, significans alijs modis obtineri posse, sed nõ per præscriptionẽ; sic insinuans occupationis capacia esse, neque hoc naturæ eorũ repugnare, sed non esse in more.

Sed

7 Sed estò quod communis sententia quam supra reiecimus, sit vera, expressè fauet nostræ nauigationi, & ita retorquetur contra Incognitum. Nam ex omnium consensu durante consuetudine illa piscandi, in specie etiã Vlpiani, possidẽs habet dominiũ, sicut ędificãs (quo altero exẽplo vtitur Vlpianus) durãte ędificio vt expressit Marc. l. In tantũ de rerum diuis. ibi: *Soli domini constituantur, qui ibi ædificant*, diuersa verò quæstio est vtrum destructo ædificio, vel piscationis iure relicto, loca publica in pristinã redeant naturã, de quo infra c.14.n.51. cum seq. nos verò agimus de nauigatione, quatenus est in vsu; vndè locũ habet respõsũ Marciani ex ipsius Incogniti interpretatione.

28 Non obstat sextum ex Celsi distinctione inter littora, & mare, ita vt littora populus Romanus occupare possit, sed sine damno aliorum, & inter mare, quod suam retinet naturam, vt commune sit omnibus. Mirum est quo ingenio seu genio Incognitus Iurisconsultorum responsa explicet, vel implicet potius; verba Celsi sunt, *littora in quæ populus Romanus Imperium habet, populi Romani esse arbitror: maris communem vsum omnibus hominibus, vt aeris, iactasque in id pilas eius esse, qui iecerit, sed id concedendum non esse, si deterior littoris, marisve vsus eo modo futurus sit*. Hæc Celsus: tu obserua Incogniti dexteritatem, qui hanc vltimam clausulam seu verba,

verba, quæ priuatum pilas in mare iacientem respi ciunt; ad principium textus, & ita ad populum Romanum trahit contra iurisprudentiæ, & Grammaticæ regulas, vt responsionem non mereatur.

29 Nam mare & littus maris vt illius pars diuersæ conditionis esse non possunt, vt probant omnes Iurisconsulti, l. Quædam de rer. diuis. Iustina. §. & quidem de rer. diuis. & ratio, cum pars & totum eandem naturam habeant, l. Quæ de tota. ff. de rei vindic. nec diuerso iure censeri possint l. Eũ qui. ff. de vsucap. & ideo vtrumque publicum esse respondet Consultus, l. Pen. de rer. diuis. quod responsum dupliciter explicari potest, vel ante specialem Imperatoris occupationem, vel post eam: in primo casu publica erunt, seu communia omnium gentium; in secundò priuata, seu potius publica erunt vsui illius populi, cuius Princeps caput est, vt explicat Vuesemb. §. flumina num. 4. Institut. de rerum diuisione, & Donellus libr. 4. capit. 2.

30 Imò & ex hoc eodem textu argumentum retorqueri potest, si aduertas quod Iurisconsultus id tantum priuato negat, clarè sentiens populo Romano licere, de quo egerat in eadem hypothesi: & in florentinis pandectis deest particula *autem* (quæ nec semper aduersatur, vt tradit Alcia. lib. 2. disp. ca. 5.) & incipit: §. Maris communem

iuxta

iuxta quę tria docet Consultus, primum, populi Romani esse littora, in quę habet Imperium: secũdum, maris communem esse vsum: tertium, ex hoc vsu deducit posse occupari à priuato, dùm tamen alijs non noceat; & ita illatio ex cõmuni vsu deducta ad priuatam occupationem relata est à Celso: vndè ex eo responso nihil contra populum Romanum concludi potest directè, & indirectè fauet Imperio Rom. nam verba illa, *eius esse, qui iecerit*, non congruunt populo Rom. sed homini, qui iecerit.

31 Et constat, quia si verum est quod dicit Incognitus, quæ differentia constituenda erit inter littora, quæ nullius sunt, & inter ea quæ sunt populi Romani? prętereà estó, quod per occupationem populi Romani in littoribus vsui publico præiudicium inferri non debeat; hoc intelligendum est respectu ipsius populi Romani, non verò aliorũ, vt doctè obseruat Donellus lib. 4. cap. 2. in eodẽ loco ab Incognito laudatus: ita verba illa, *omnibus hominibus*, respectiuè explicanda sunt, hoc est omnium gentium attenta rerum natura, vnius populi data occupacione. Sic Theophilus eadẽ verba prolata à Iustiniano restringit ad omnes homines populi Romani. §. flumina Inst. de rer. diuis. vbi notat Baro. vt supra num. 11. obseruauimus. Congruit etiam quod Vlpianus dixit. *Mare omnium*

nium commune esse, sicut & aerem, & tamen admittit piscationem populi, vel Principis priuatiue in mari, vt supra aduertimus n. 25.

32 Autoritas autem Diui Ambrosij hominum respicit ambitionem: quemadmodum in eundem sensum multa tradunt Philosophi, multa poetæ, plurima viri sancti, & docti, vide Innocen. III. de contemptu mundi, & in terminis nostris, quæ cõtra nauigationem congessit Menchac. Illustr. ca. 20. num. 11. Non tamen negabit Diuus Ambrosius pro fide Catholica propaganda Oceani, & Phlegetontis etiam procellas remis, & vellis sedandas, & superandas, diuidentibus inter sese, & sibi onus propagationis supremis nauarchis, quod si Ambrosij sentẽtia Batauis placet, cur Batauia non continentur? cur Oceanum suis nauigationibus sternunt? quemadmodum olim continebantur, nec in mari, & aquis experti erant, vt aduertit Lipsius ad Tacit. lib. 5. hist. num. 39. *nobis* (ait Diuus Ambrosius d. loco) *sententia est mutare exilio domos, incolarum fastigio teneri, aduenarum captare gratiam, transferre terminos perpetuos, agrum ad agrum adiungere, domum ad domum, defecit terra hominibus, sternũtur, & maria, spatia maris sibi vendicant*, & cætera.

33 Restat vt ad vltimum respondeamus, quo intẽdit Incognitus nauigationem nemini esse impediendam ex eo, quia communicatio nullum impe-

dienti

dienti affert commodum, vtilitatẽ tamẽ alijs preſtat; quemadmodũ ſi quis neget lumen de ſuo capere lumine, & ſic de alijs: ad huius argumẽti ſolutionẽ notandũ eſt nõ omninò certũ eſſe, quæ ſint publica iuregẽtiũ, proptereà quod iſta paulo negligẽtius, & minus explicatè noſtri tradiderũt, vt aduertit Conan. lib. 3. ca. 2. n. 1. in fin. Ex Philoſophorũ tamẽ, Iuriſcõſultorũ, & ſcribentiũ mente ſtatuendũ eſt, illud naturali iure cõmune omniũ dici, quod omnibus eſt promiſcuũ, & quo omnes ſine alterius detrimẽtò vti poſſunt, ſic declarat Tullius lib. 1. offi. in hũc modũ. *Omnia communia hominũ videtur, quæ ſunt generis eiuſdẽ, quod ab Ennio poſitum in vna re transferri per multas poteſt.*

Homo, qui erranti monſtrat viam,
Quaſi de ſuo lumine accendat, facit
Vt nihilominus ipſi luceat, cum illi accenderit.

Qua ex re ſatis percipitur, vt quidquid ſine detrimento poſsit commodari, id tribuatur cuique, vel ignoto: ex quo ſunt illa communia; non prohibere aqua profluente, pati ab igne ignẽ capere, quę sũt ijs vtilia, qui accipiũt, dãti nõ moleſta, hęc Tull. aſſentit Conan. li. 3. c. 2. n. 1. & eſt demente omniũ, nec refragatur Incognitus in exẽplis.

34 Iuxta quæ, ne ab argumẽti materia diſcedamus, bibere, haurire, lauare, quę pertinent ad aquæ vsũ, omnibus ſunt comunia: quia cõmunicari poſſunt

sine detrimento alterius, sic Paulus l. Quædã. ff. de rer. diuis. *naturali iure communia omnium esse aerem, aquã profluentem, & mare*: profluẽtẽ dixit. Nõ enim aqua omnis iure naturali communis est, sed ea tantũ, quę profluit; & ita profluit, vt ea quilibet sine alterius damno vti possit, obseruat Conan. d. loco, huc pertinet illud Latonę apud Ouid. lib. 6.

Quid prohibetis aquas? vsus communis aquarum est.

Nam Latona sedare tantum sitim quęrebat, vt ex contextu constat.

Iamque Chimeriferæ, cùm Sol grauis vreret arua,
Finibus in Lyciæ longo Dea fessa labore
Sidereo siccata sitim collegerat æstu,
Vberaque ebiberant auidi lactantia nati.
Fortè lacum mediocris aquæ prospexit in imis
Vallibus: agrestes illic fruticosa legebant
Vimina cum iuncis, gratamque paludibus vluam.
Accessit, positoque genu Titania terram
Pressit, vt hauriret gelidos potura liquores.
Rustica turba vetat, Dea sic affata vetantes:
Quid prohibetis aquas? vsus communis aquarum est.
Nec Solem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues vndas: ad publica munera veni.
Quæ tamen, vt detis, supplex peto: non ego nostros
Abluere hic artus, lassataque membra parabam,
Sed releuare sitim: caret os humore loquentis,
Et fauces arent, vixque est via vocis in illis.

Haustus

Haustus, qua mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepisse, simul vitam dederitis in vndis.
Hi quoque vos moueant, qui nostro brachia tendunt
Parua sinu: (&) casu tendebant brachia nati.

35 Per contrarium verò vsus fluminis, qui consistit in nauigando, & piscando, vt aduertit Ripa l. Quominus num. 6. ff. de flumin. & scribentes in §. 2. Inst. de rer. diuis. ad vnum populum priuatiuè pertinere potest, vt docuere Baro. l. Sed diui. ff. de rer. diuis. Donellus lib. 4. cap. 2. & Osuald. ad Donell. dict. cap. 2. littera. F. & tunc sine dominãtis detrimento alteri communicari nõ potest, vt per se patet, & constat ex litibus quæ super piscandi, & nauigandi iure quotidie inter populos excitantur, Suar. alleg. 14. Decius conf. 270. Ruyn. cõsil. 28. lib. 1.

36 Atque ita, vt exemplum Menchacę, & Incogniti persequamur; Latona non piscari, nõ nauigare in alieno lacu volebat, necfas erat ex l. Iniuriarũ 13. §. fin. ad fin. de iniur. ibi: *In lacu tamen, qui mei dominij est, vtique piscari aliquem prohibere possum*, vbi glos. & omnes, quemadmodum prohiberi poterat, aucupari, & venari in alienis agris d. §. fin. ibi: *Nisi quod ingredi quis agrum alienum prohiberi potest*, l. Diuus Pius 16. ff. de seruit. rust. præd. l. 3. vers. planè. ff. de acquir. rer. domin. §. feræ Inst. de rerum diuis. iunctis traditis per Aret. in l. 3. § Nerua not.

5.ff.de acquir.possess.Dec.cons.197.num.2.Chasan.consuetud.Burgund.Rubr.13.§.7.glos.1.n.3.Perez ad l.1.tit.22.column.penul.vers.posset tamen cum seqq.libr.2.Ordinam. tametsi Auend.lib.1.de exequend.cap.4.num.32.in contraria sit sententia, & idem seruandum in nostro Regno Lusitaniæ teneat Valasc. de iure emphyt. quæst. 8.nu.43.vers.& ex prædictis ad fin.sequitur Cald. de emptione cap.21.num.11.per Ord.lib.5.titul. 91.& in antiquis 111. sed caue, quia Ordinatio agit quando prohibitio piscandi, vel venandi fit in locis publicis,in quibus licet proprietas sit dominorum,vsus tamen est communis; nos autem agimus in re priuata quoad proprietatẽ, & vsum. In hac enim dominus potest licitè prohibere piscationem,& venationem,ex d.§.fin. cum similibus,resoluunt Medin.de restit.cap.12.colum. 3. Sot,de iust.lib.4.quæst.6.art.4.column.ante pen. ad medium, Cabed.decis.89.numer.2.&. 3.p. 2. post Barbosam,quem citat,Sayr. in claue Regia lib.1.cap.9.num.14.Molin.1.tom.disp.45.septũ locum requirens, qui casus omnibus indubitabilis est. Inde deducitur minus rectè Incognitum ab aquæ vsu ad fluminis, vel maris vsum intulisse. Non enim sequitur, licet mihi ex flumine, vel mari bibere, licebit ergò piscari,& nauigare.

37 . Dum autem firmant Menchaca Illustr.c.89.n.

35. & Incognitus ex omnium piſcatione, & naui gatione nullum domino, vel poſſeſſori incommo dum inferri, non magis quam ſi lumen de lumine ſuo accendi patiatur: natura, ratio, & ipſe ſibi contradicunt, dùm capit. 7. in Luſitanos tanquam dardanarios l. 1. C. de monop. damnatos inuehitur; qui coemptores, ſuppreſſoreſque mercium ex inopia aliorum ſibi quæſtum faciunt, vt alias Nazianzenus in funere Baſilij declamabat, non minus ergò vtilitatis ex aurifodinis, mercimonijs, & nauigationibus Indicis Rex Hiſpaniarum accipit ſi ſolus ea ſibi vendicet, quam ſi cæterę gentes ad eadem admittantur ex horum opinione.

38 Ex his, quæ in hoc capit. & præcedenti deduximus ea qua potuimus breuitate, ſatis conſtat maris occupationem admitti poſſe, licet namque totum occupari propter ipſius vaſtitatem, & noſtrã impotentiam nequeat, attamen pro parte protegi, purgari, dominari, & Imperio retineri receptũ eſt, vt noſtra defendamus, & ab hoſtibus, & pir: tis tueamur.

39 Vnum, vel alterum aduertendum du: imus, primum maris occupationem non ex qualibet nauigatione, & piſcatione acquiri. Per hos enim actus ſimpliciter non fit occupatio Pompon. l. Si ager 23. ff. de adquir. rer. dom. *nec piſcan-*

do quidem retinere poterimus vsum fructum, quem textum si Incognitus inuenisset (Deus bone) nec se ferre posset: & ita audiendus est Ruynus conf. 28. num. 10. & 11. volum. 1. dùm vult quod per nullũ cursum ex simplici nauigatione adquiratur ius, sed cum maris proprium ius ad aliquem pertineat, vti posside tis interdictum ei cõpetit, si prohibeatur ius suum exercere, sic Paulus l. Sanè. ff. de iniurijs de quo latè supra, modos verò, quibus illud assequi possumus, perstringemus cap. 13.

40 Secundò aduerto Lusitanos maris Oceani occupationem, & Imperium non ita sibi vendicasse, vt alijs nauigationem prohibeant, aut in illo vectigalia imponant, imò & ipsi Bataui per Oceanum, & per Hispanicum mare nauigant in Venetias, & in alias Prouincias, nusquam tamen illi, vel alij ab Hispanis prohibiti sunt, aut vectigalia pendunt, nec tale quid memoriæ proditum est.

41 Sed illud tantum clamant nostri (vt Incogniti ca. 12. ad fin. verbo vtar) ne nauigent Bataui ad nostras conquistas, quæ tanto nostrorum sanguine, & sumptu comparatæ fuere, vt certe si lucrum temporale spectetur, haud tanto pretio dignæ sunt, latissima igitur Neptuni spacientur in aula Bataui, piscentur, & hauriant æquor, nauigentque in alias Prouincias, innocuum nauigantibus præbeant iter, et si nouas Insulas, alias terras inquirere:

rere cupido est; ad septentrionem restat magna orbis pars adhuc Incognita teste Acosta de natu ra noui orbis lib. 1. cap. 20. ad fin. neruos suos, & animos ad hanc Prouinciam intendant, vt sibi lu crum, & gloriam acquirant, exteris inuidiam, & æmulationem inijciant, expectant ne velut ab spe cula, vt ab alijs prius labore, sanguine, & vita ma- ria sternantur, vt postea ipsi aliorum labore fruan tur?

SVMMARIVM.
Cap. XII.

1 *Romanus Pontifex directè, & principaliter non habet iurisdictionem in totum orbem.*

2 *Romanus Pontifex habet temporalem in vniuersum or bem ex communi, non tamen eam Principibus sæculari- bus concedere poßet.*

Par in parem non habet Imperium.

3 *Christus Dominus fuit Monarcha temporalis, habuitque potestatem excellentiæ super omnia temporalia.*

Potestas excellentiæ à Christo Domino, nec in spiritua- libus, nec in temporalibus fuit Petro, & succeßoribus com municata.

4 *Christus Dominus dum Petro concessit spiritualem potes- tatem, eo ipso concessit tēporalē in ordine ad spiritualem.*

Media committuntur, cui committitur finis.

5 *Romanus Pontifex non est dominus maris Oceani, nec po*

tuit Regibus Hispaniæ insulas Occidentales donare.

6 Borrellus reprobatur circa Alexandri VI. bullæ interpretationem, & num. 7.

Christus Dominus maris, & ventorum figuratus per Noe, qui fuit figura Christi.

8 Romanus Pontif. non potuit concedere Regibus Hispaniæ Insulas barbarorum ad effectum, vt postea conuerterentur.

Bellum non est medium aptum ad fidei propagationē.

9 Romanus Pontifex potuit concedere nauigationem Indicam Principibus Hispaniæ priuatiuè quoad alios Principes pro infidelium conuersione.

10 Alexander VI. non concessit Hispanis nauigationem, vt debellarent Indos, sed vt deducerent prædicatores, conuersos defenderent, & cætera.

11 Alex. VI. potuit alijs Principibus prohibere nauigationē ad Indos.

12 Hispani per vim, & arma spoliarunt Indos, Hispaniæ tamen Rex iustè retinet, & possidet Indias Occidentales.

13 Imperia per vim obtenta ex temporis cursu confirmantur.

An mare

An mare, aut ius nauigandi proprium sit Lusitanorum titulo donationis Pontificiæ.

Cap. XII.

1 QVANQVAM cap.7.huic dubio sit satisfactum,vt tamen Incogniti ordinem, & argumenta prosequamur,in hoc capite de hoc nauigandi iure succinctè agemus:iam enim c.6.corol.6.à n.58. ostendimus Romanũ Pontificem Christi vicarium, Petriq; successorem non habere directè ciuilem potestatem,seu tẽporalem in totum orbem, & in nostra quæstione Vict.de Ind.p.1.n.27.Salmer.tom.12. tract.38.vers.ijsdẽ pag.325.quã tamen si haberet, vt voluere relati d.corol.6.n.54.non tamen posset eam Principibus sæcularibus concedere,vt probant Victoria de Indis 1.part.numer.28. & Salmeron vbi proximè Sotus in 4. distinct. 5. quęst. vnic.art.10.col.14.arg.5.Ledesma 2.4.q. 20. art. 4.fol.305.

2 Ratio est in promptu,quia ea potestas esset annexa summo Pontificatui,vt benè probant citati Doctores,vndè Pontifex non posset sese ea abdicare,etsi de facto illam donaret,successor in Diui Petri Cathedram eam reuocaret,cum non posset antecessor futuros obligare Pontifices, præcipuè

in re pertinente ad Cathedrę splendorem, & dignitatem, cum par in parem nō habeat Imperium, vt decidit Innoc. III. in Petri successoribus in ca. Innotuit 20. dē electione, aduertunt in proposito Victoria, & Salmeron d. locis.

3 Quanquam autem Christus Dominus fuerit Monarcha temporalis, & potestatem excellētiæ habuerit super omnia tēporalia iuxta illud Matt. vltim. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, vt cum communiori, & veriori resoluisti cap. 6. nu. 66. nihilominus hęc potestas excellentiæ in temporalibus non fuit communicata Petro, & successoribus, nec potestas excellentię in spiritualibus, vt post D. Thom. & alios resoluisti d. cap. 6. numer. 67. concessit tamen eam potestatem temporalem, quę necessaria foret ad consequendum finem supernaturalem, cum Dei perfecta sint opera Deut. cap. 23. vt late probasti d. cap. 6. corol. 7. à num. 73.

4 Ex his infertur primò Romanum Pontificem vt talem non esse dominum maris Oceani, nec si fuisset, concedere posse Regibus Hispaniæ, nec Indiarum insulas, & terras, vt probant in specie Victoria, Salmeron, Sotus, & Ledesma relati supra num. 1.

5 Infertur secundò non probari mihi assertionē Martæ de iurisdict. 1. par. cap. 26. num. 55. dum firmat

mat Alexandrum VI. Castellę, & Lusitanię Regibus Indias seu nouum mundum in fœudum cō cessisse propter directum dominium, quod sibi cō petit in vniuersum orbem. Cum enim, vt probaui mus, summus Pontifex non habeat eam potestatem directò in totum orbem, ac perconsequens, nec in Indias, non potuit in fœudum illas cōcedere, quod dominium directum prærequirit iuxta fœudistas; vt barbarus ille Atabaliba Peruani Imperij Rex Fr. Vincentio de Baluerde Dominicano, qui cum ad primum barbari aspectum, & con gressum, comminatus fuisset igne, & ferro pereū dum, nisi se in Regis Hispani tributarium daret, prout à Papa consecutus fuerat, non barbarè respondit, nolle se in superiorem recognoscere eū, cuius nec nomen vnquam audierat, minusque illi Papæ obedire, qui quod suum non erat, alijs donabat apud Gomaram en la historia general de las Indias pag. 155.

6 Infertur tertio non esse veram rationem, quam ad iustificationem Alexandrinæ concessionis affert Borrellus de prestant. Regis Catholici, c. 46. à num. 232. & 234. dùm ait Regibus Hispanię Oceani nauigationem competere ex Pontificia largitate, idque ex eo, quia secundus pater gentium Noe ex inuestitura sibi à Deo facta maris dominiū, ac possessionem accepit, dùm sibi nauē (arcā

scilicet

ſcilicet)conſtrui fecit, & cum naue corporalem maris poſſeſsionem accepit; cum autem arca figura ſit Eccleſię ex Origine in Geneſ.ca. 6. hom. 2. Rupert.in Geneſ.lib.4.ca.7. Aug.contra fauſtũ lib. 12 cap. 14. Noe autem figura Chriſti, ſicut enim per vnum Noe ſeruatus eſt orbis, ſic per Chriſtum ſeruantur omnes, & quemadmodum Noe per lignum cõſeruauit reliquias generis humani, ita Chriſtus per lignum crucis, vt tradit Benedictus Pereira ſuper Geneſim lib. 10. diſp. 12. n. 85. par. 2. vnde cum Chriſtus ſit dominius maris, & ventorum iuxta reſoluta cap. 6. num. 66. *Hinc ſurgens imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna*, cum reſpicientium admiratione, apud Lucam cap. 8. *& ambulauit ſupra mare*, vt narrant euãgelij hiſtoriographi Matth. 14. Marc. 6. & vicarios ſuos conſtituerit Petrum, & ſucceſſores, eiſque omnem ſuam contulerit poteſtatem, tàm ſpiritualem, quàm temporalem in vniuerſum orbẽ; eadem proculdubio iuriſdictio, & poteſtas in mare competit Pontifici Romano, ac per conſequẽs potuit Alexander VI. eandem Regibus Hiſpaniæ concedere.

7 Sed hæc opinio Borrelli nullo modo defendi poteſt. tũ quia Chriſtus Dñs. Petro, eiuſq; ſucceſſoribus excellentię poteſtatẽ, nec in ſpiritualibus nec in tẽporalibus cõtulit, vt aduertimus n. 3. imò

etſi

etsi illã contulisset, non posset Romanus Pontifex ea se spoliare in supremæ dignitatis præiudicium, vt astruimus num. 1. & 2. nec vera est illa opinio, quę vtriusque gladij potestatem Pontifici concedit, vt probant relati d. c. 6. n. 64.

8 Quartò infertur non potuisse Romanum Põtificem concedere Regibus Hispaniæ Insulas Barbarorum ad effectum, vt postea ad fidem conuerterentur, vt voluit Sepulueda in sua disp. obiect. 12. & Ceuallos lib. 4. quæst. 906. à num. 309. citãs in id Paramum de origine Inquisi. lib. 3. q. 1. opin. 3. num. 76. & 77. qui tamen agit de Principibus fidelibus (quos Pontifex ex causa deponere potest de quo capit. 6. corol. 4. à num. 45.) tùm quia Pontifex non habet potestatem in infideles; nec illi suis bonis, & dominijs spoliari possunt ob infidelitatem, aliave contra naturam peccata, de quo supra egimus cap. 9. & acerrime contra Sepuluedam, & Ceuallos defendit nostrum corolarium Episcopus Chiapiæ replica 12. Soto in 4. distinct. 5. q. vnica, art. 10. col. 11. ad 2. Salmer. tom. 12. tractat. 39. bellum nàmque non est medium aptum, sed potius impeditiuum fidei propagandæ, vt docent idem Soto d. art. 10. conclus. 3: Vict. de Ind. p. 1. n. 39. Acosta de procuranda Indorum Salute lib. 1. c. 13. & lib. 2. c. 5. [illegible]

9 Quintò infertur Romanum Pontificem ex officio

ficio Apostolico potuisse concedere Hispaniæ Regibus nauigationem in Indias, ad effectum fidei in illas Prouincias promulgandæ priuatiuè quoad alios Reges, & Principes Christianos, prout latè deductum est cap. 7. & 8. supr. cod. & constat quoniam in ordine ad bonum spirituale Pontifex temporalem habet, & exercet potestatem, vt latè probatum est cap. 6. igitur potuit de medijs disponere ad illam conuersionem consequendam, ac perconsequens nauigationẽ (quod erat medium præcisum ad illas Prouincias penetrandas) ab aliorum impedimentis liberam reddere.

10 Sextò infertur Alexandrum VI. non concessisse nauigationem ad eum finem, vt Hispanię Reges proficiscerentur ad debellãdos Reges infideles noui orbis, & eorum Regna occupanda, sed vt eo adducerent fidei Christianæ prædicatores, & protegerent, ac defenderent tùm ipsos prædicatores, tùm Christianos ab eis conuersos, & punirẽt aduersarios, etiam occupando eorum Regna, quatenus opus esset, vt benè docent Episcopus Chiapię in Apolog. replica 12. Sotus in 4. distinct. 5. q. vnica art. 10. ad quintum Bañez 2. 2. q. 10. art. 10. dub. 3. ad 3. Bellarminus lib. 5. de Rom. Pont. ca. 2. Salas de legib. disp. 7. sect. 5. num. 31. vers. ad illud, Acosta lib. 2. de procur. Indor. salute cap. 2.

Beccan.

Beccan.in summa 2.tom.cap.13.q.6.num.12.qui contrarijs argumentis satisfaciunt.

11 Vnde non recte intendit Incognitus cap.6. diuisionem,seu nauigationem hanc tantum habere locum ex Pontificis laudo, seu arbitrio inter Hispaniæ Reges,non verò alijs præiudicare inauditis,& immerentibus:omnibus namque præiudicat ex rationibus, quas congesimus capit. 7.ad fin.& cap.8.per totum, pendetque hoc præiudicium,seu exclusio ex vi Pontificiæ potestatis circa temporalia in ordine ad spiritualia iuxta resoluta d.c.6.à num.73.

12 Sextò infertur,quod licet per Ducum, & militum vim,& tyrannidem contra Pontificis, & Regum Hispaniẹ mentem,voluntatem,ac ordinationes,Indi bonis suis spoliati fuerint, Regemque Hispaniẹ vt superiorem cognouerint, nihilominus tamen non deficit titulus administrationis ad retinendam Indorum possessionem:quod quidem ius,nisi aliunde perturbetur iniuria,æquum, & salutare esse constat,vt benè resoluunt Salmeron tom.12.tractat.38.ad finem, Acosta lib.2.de procur.Indorum Salute cap.2.ad finem, & ca.3. Salon 2.2.q.60.art.6.contr. 1.vers.denique.

13 Imperia etiam per vim licet vsurpata ex populi consensu tempore confirmantur ex Bellarm.lib.3.de laicis ca.6.Molin.de iustit. tract. 2.

disp.

disp.24.adfin. Acosta lib.2.de proc.Ind.Salute c. 3.& Salas de legibus disp.7.sect.12.numer.67.in fin.cui congruit illud Senec.in Hipol.

Honesta quædam scelera successus facit.

SVMMARIVM.
Cap. XIII.

1 Menchaca multas opiniones in Scholas inuexit contra iuris, & rationis placita.

Quæstio disputanda vtrum mare, aut ius nauigandi proprium sit Lusitanorum titulo præscriptionis, aut consuetudinis.

2 Argumenta negatiua proponuntur.

3 Maris occupatio à doctoribus, & Iurisconsultis admittitur.

4 Præscriptionis edictum prohibitorium est.

5 Commercium extra esse, & habere commercium rei differunt.

6 Maris proprietas est nullius secundum communem, protectio, & iurisdictio est Imperatoris.

7 L. Sanè de iniurijs.

Proprietas maris dari potest.

Mare & diuerticulum differunt apud Iurisconsultos.

8 Imperator mittit classes ad mare purgandum.

9 Imperatori quod licet, licebit etiam Regibus superiorem non recognoscentibus in temporalibus.

Reges

Reges supremi eandem potestatem habent, quam Imperator.

Reges Hispaniæ non recognoscunt Imperatorem in temporalibus.

Rex Lusitaniæ non recognoscit Imperatorem in temporalibus.

Hispania de facto, non iure subiecta fuit Imperio, a quo iam libera est.

10 *Imperator non est mundi, & maris dominus, sed partis subiectæ.*

11 *Nauigatio, & protectio maris omnibus competit de iure gentium, nisi à Principe præoccupetur.*

Imperator mari, & littoribus seruitutem imponere potest.

12 *Maris protectio, iurisdictio, & imperium ad Imperatorem pertinet, primò quando iura regalia in Prouincias mari adiacentes habet.*

13 *Imperator ius maris adquirit ex præscriptione.*

Venetorum, & Genuensium ius maris defenditur.

14 *Præscriptio in memorialis requiritur ab scribentibus ad maris adquisitionem.*

L. Vsum aquæ. C. de aqua ductu.

Vsus aquæ publicus adquiri potest ex tempore immemoriali.

15 *L. Vlt. ff. de vsucap. & num.* 16,

Præscriptionis ius in rebus publicis non adquiritur ex longo tempore, sed ex immemoriali, & n. 17.

16 *Præscriptio an importet apud Iurisconsultos exceptionē tantum?*

17 *Publica iura non adquiruntur possessione longa etiam tē pore Imperatorum, sed immemoriali.*

18 *Præscriptio pro exceptione capitur frequentius apud Iurisconsultos.*

Præscriptio, & exceptio differunt.

19 *Præscriptio, & exceptio non differunt tamquam species, & genus.*

Præscriptio non solum comprehendit exceptionem ex tēpore ortam, sed & alias.

20 *Præscriptio pro adquisitione per possessionem non est barbarum, & incognitum Iurisconsultis.*

Iulius Paulus instit. de vsucapioue.

Inst. de vsucap. & præscriptionibus.

21 *Verbum,* prescribere, *significat intitulare, & præfinire quod congruit vsucapioni.*

22 *Vsucapione quare Iurisconsulti sæpius vsi fuerint, quam præscriptione.*

23 *Præscribens adquirit dominium directum, & vindicatio.*

L. Si duo. § primo. ff. de iur. iurando.

24 *Præscribenti cur exceptio, non actio in iure concedatur.*

Exceptio etiam est intentionis exclusio.

25 *Præscriptio pro exceptione capitur, quoties exceptio ante litis contestationem proponitur, vt est exceptio dilatoria, & aliquæ ex peremptorijs.*

26 *Consuetudine ius publicum piscandi, nauigandi, & similium adquiriri potest.*

26 *Consuetudinem inter & præscriptionem magna differentia.*

Consuetudo dicitur adquisitio per temporis possessionem.
Præscriptio immemorialis dicitur consuetudo.

28 *Præscriptio immemorialis requiritur ad præscribenda loca publica à priuatis, Princeps ad obtinenda loca publica non indiget immemoriali, sed occupatione tantum.*

29 *Ius piscandi, & nauigandi, & similium an adquiratur praoccupatione simpliciter.*

30 *Ius prohibitionis requirit plures annos.*
Prohibitio in rebus publicis, vt competat necessaria est, præscriptio.

31 *Præoccupatio inter supremos Principes sufficit in rebus publicis.*

32 *Princeps supremus non indiget licentia, aut priuilegio alterius Principis ad occupanda loca publica.*
Priuatus indiget immemoriali ad occupãda loca publica

33 *Venetis opus non est immemorialis ad Adriatici maris occupationem tuendam.*
Venetorum gentis origo, & Imperium quando cœpit.

34 *Sententia in Venetorum fauorem pro maris Adriatici iure contra Imperatorem, & alios Principes.*
Adriatici maris Imperium pertinet ad Venetos.

35 *Nauigatio de iure gentium est libera.*

36 *Cap. primum de præscript. in 6. & n. 38.*

37 *Prohibitio vsucapionis in rebus publicis procedit respectu priuatorum.*

L.2.§.si quis à Principe.ff.ne quid in loco publico.

38 *Loca publica respectu Principum censentur libera.*

Contra libertatem status primaui præscribitur tempore ordinario.

39 *Status primauus repugnans non releuat possessorem ab onore probandi.*

Præsumptio primaui status tollitur per possessionem longi temporis.

40 *Lusitanorum ius in Indiæ nauigatione concluditur ex præoccupatione, consuetudine, & destinatione.*

41 *Nauigatio Indica ex præoccupatione.*

Promontorium bonæ spei quando præternauigatum, & à quo.

42 *Vascus à Gama quo tempore in Indiam nauigauit.*

43 *Tempus centum annorum an & quando immemoriali æquiparetur.*

Vita hominum centum annos excedentes.

44 *Quadraginta annorum cursus cum titulo vim habet immemorialis.*

45 *Lusitani Reges ius Indicæ nauigationis defendũt ex omnium sententia.*

46 *Princeps supremus qui bona fide rem possidet, non tenetur eam dimittere, aut diuidere, vel in arbitros compromittere, etsi dubia res sit.*

47 *Princeps qui arma mouet contra Principem possessorem*

forem in re dubia peccat grauißime licet ius suum probabilius putet.

48 *Milites alienæ reipublicæ peccant arma sumentes in re dubia, & ad restitutionem tenentur.*

Indicam nauigationem Lusitanorum perturbantes incidunt in censuras.

49 *Batavi ineunt fœdus cũ Turcis, Mauris, & infidelibus*

Fœdus cum infidelibus contra Christianos inire nefas.

50 *Sarraceni sunt Dei fllagellum contra Christianos.*

51 *Imperator, & Principes Catholici non possunt fœdus inire cum Turcis, Mauris, & infidelibus contra Christianos.*

Oceanus subuertit Batauorum terras.

52 *An liceat in bello iusto contra Christianos Principi Christiano auxilium infidelium inuocare?*

Vtrùm mare, aut ius nauigandi proprium sit Lusitanorum titulo præscriptionis, aut consuetudinis.

Cap. XIII.

NEGAT Incognitus in sua dissertatione cap. 7. Lusitanis mare, aut ius propriũ nauigandi cõpetere ex titulo præscriptionis, aut consuetudinis, sequens singularem Mench. opinionem, qui contra iurisprudẽtię, Philosophiæ, & Theologiæ placita ostẽtãdi

ingenij gratia multa in Scholas inuexit, quæ cum cœmento careant, per se ipsa corruunt, & inter ea contra Iurisconsultorum responsa contra doctorum torrentem, hęc etiam assertio idem incurrit discrimen.

2 Argumētatur ergo primò sic: præscriptio fuit inuenta iure ciuili, ergò inter supremos Principes non potest locum habere.

Secundò sic: vbi ius naturæ, aut gentium resistit, ciuile nullius est momenti ex traditis per Mēchacam Illustr. cap. 51.

Tertiò: res, quę sunt extra commercium nostrum, nec possideri, nec præscribi possunt, vt decidūt Bonifacius reg. sine possessione in 6. & Caius l. Vsucapionem 9. ff. de vsucapion. sed hæc sunt res publicę ex eod. Caio igitur resp. pręscribi non possunt, ac perconsequēs, nec mare, cum sit publicum §. 1. Instit. de rerum diuisione.

Quartò: loca publica non admittunt præscriptionem ex Vlpiani responso, l. Vlt. ff. de pręscript. sed tantum occupationem, vt Marcian. docuit l. Si quisquam. ff de diuers. & temporalibus.

Quintò: etiam leges Hispaniæ l. 7. tit. 29. par. 3. decidunt in his rebus, quæ communi hominum vsui sunt attributæ, nullius omnino temporis pręscriptionem procedere, ibi: *No lo pueda ningun ome ganar por tiempo*, resoluit Suar. cons. 1. num. 4. de vsu

maris

maris, aliàs allegatione 17. num. 5.

Sextò: qui communi re vtitur, vt communi vti videtur, non autem iure proprio, & ita præscribere non potest, quemadmodum nec fructuarius.

Septimò: præscriptio etiam immemorialis dari non potest cum mala fide, vt per Couar. reg. possess. 2. p. §. 2. num. 8. & Fachin. lib. 8. cap. 26. & 33. hęc datur in Rege Lusitaniæ, igitur.

Octauò: ad hanc immemorialem præscriptionem inducendam requiritur prohibitio contra omnes, nec sufficit contra aliquos ex Mench. Illust. cap. 85. nu. 38. Castellani autem, Galli, Angli, & Bataui semper nauigationibus suis restitere; ex quibus fit, quòd nec proderit præscriptio mille annorum, vt contra Angelum docet Castrensis l. Vltim. ff. de vsucap. vndè corruit opinio eorum, qui propugnant præscriptionem gulforum Venetorum, & Genuensium, ac etiam Lusitanorum, & Hispanorum, qui nauigationem maris Oceani sibi vendicant, quorum opiniones sunt insanæ, earumque autores in somno eodem esse solent, vt concludit Mench. Illust. cap. 89. à num. 30. & numer. 36. ab Incognito mirificè laudatus.

3 His argumentis patet responsio ex iis, quæ resoluimus supra ca. 10. & 11. Nam (vt illic probaui mus) maris, & nauigationis occupationem à Iu-

risconsultis & communi schola admitti receptissimum est, ac perconsequens ex rei natura præscribi quoque poterunt, nisi aliud obstet.

4 Quoniam edictum præscriptionis prohibitorium est iuxta doctrinam Iurisconsulti in l. Mutus 43. in princ. vers. cum quæritur. ff. de proc. obseruant in specie Soc. cõs. 47. n. 15. lib. 3. Tiraq. de iure primo. q. 30. in pr. & ante illos glos. 4. in l. vlt. C. de fund. limitrophis libr. 11. ita vt omnes res, quæ ita sunt in cõmercio, vt in nostrum dominiũ transire valeant, pręscribi posint ab omnibus, & contra omnes exceptis quibusdam speciatim iure prohibitis, vt colliges ex Iurisconsulto Paulo l. Si in emptione 34. §. omnium. ff. de cõtrah. emp. & Iustiniano. § per traditionem, ibi: *Cuiuscumque generis*, Inst. de rer. diu. & in pr. Inst. de inutilib. vbi glos. si verò speciali prohibitione iuris naturalis, gentiũ, vel ciuitatis extra cõmercium sint, nobis per præscriptionem, vel aliũ legitimũ modũ non adquirentur ex eodem Paulo d. §. omnium, ibi: *Omnium rerum quasquis habere, vel possidere, vel persequi potest, venditio rectè fit, quas verò natura, vel gentium ius, vel mores ciuitatis commercio exuerunt, earum nulla venditio est.*

5 Aduertendũ tamẽ est rẽ esse in cõmercio, & habere commerciũ rei longè differre. Illud enim refertur ad rei qualitatem, quæ alienari, & domi-

nio

nio subijci potest; hoc verò ad qualitatē personę, quę est capax habendi cōmercium eius rei, quæ in cōmercio versatur, vt eleganter distinguit Paulus lib. 48. ad Sabinū l. Multū interst 34. ff. de verb. oblig. ibi: *Multū interest vti ū ego stipuler rem, cuius commerciū habere non possum, an quis promittat; si stipuler rē, cuius cōmerciū non habebo, inutilem esse stipulationē placet si quis promittat, cuius non commercium habet, ipsi nocere non mihi*, vbi nouiores exornant, & exēplificāt, & in nostra specie res per se poterit esse in commercio, & præscribi non tamen hoc, sed illo tempore iuxta exēplum bonorū hæreticorum de quo Bon. VIII. c. 2. de hæret. in 6. non à fure, sed ab alio, vt per Iustin. iuncta glos. ibidem recepta. §. furtiuę quoque. ff. de vsucap. & sic de alijs.

6 His suppositis statuendum est primò maris iurisdictionem, & protectionem ad Principem supremum pertinere, vt secure resoluunt additio ad glossam verbo, littora in l. 2. de rer. diuisio. vbi Bald. & Iason, communis ex Suarez allegat. 17. num. 9. Cabed. decis. 46. num. 4. part. 2. Peregrino de iure fisci lib. 1. tit. 1. nu. 17. secundum quos proprietas nullius est, sed forsan hæc distinctio inter proprietatem, & iurisdictionem nominalis est; cū in effectu idem quoad propositum importet.

7 Et verbo proprietatis vtitur paulus ad Plautiū libr. 13. l. Sane. ff. de iniurijs docens maris pro-

prium ius ad aliquem pertinere posse, quod ad di uerticulum maris restringit, & interpretatur Incognitus contra proprietatem, & generalitatem verbi, & textus: cum tamen Vlpianus in precedẽti responso l. Iniuriarum. §. si quis, de iniurijs, discriminet mare à diuerticulo, inquiens, *si quis me prohibeat in mari piscari, vel diuerticulum* (quod quid sit explicant Budęus ad posteriores pandectas sub illo titulo, & Alciat. 2. disp. cap. 13.) de quo iam diximus cap. 11. num. 24. & 25. quare dum Tribonianus in sequenti textu annectit quæstionem de mari, dici non potest de diuerticulo(quod alterum, & diuersum alternatiuæ membrũ erat) intellexisse: vndè duo mihi probat Paulus, primum loqui in mari, & non in diuerticulo; secundum de proprietate. Nec Incognitus hunc sensum euitare poterit, qui vtrumque textum eodem intellectu explicandum docet ca. 7. pag. 43 his verbis, *mens Pauli supra explicata est, cæterum illi, si vel sola Vlpiani verba, quæ præcedunt satis considerassent, longè aliud dicturi erant*, cum tamen, vt vidimus, ex vtroque textu ipse iuguletur.

8 Propter igitur hoc dominium, seu protectionem, & iurisdictionem Imperaror ad mare piratis, hostibus, & barbaris purgandum, mittit classes vt constat ex Cæsarum decisione l. Vnica. C. de classicis lib. 12. *Seleucena*(classis) *ad auxilium purgandi*

di Orientis, aliasque necessitates Comiti Orientis deputetur.

9 Qui textus mihi singularis, & vnicus est ad iustificandam nostrorum Hispanorum per Oceanũ nauigationem: si enim hoc licet Imperatori, cur non licebit Regibus Hispaniæ, qui superiorem in temporalibus non recognoscentes Imperatoria pollent potestate ex glos. in c. Adrianus 22. dist. 63. verb. per singulas, recepta ex Couar. reg. peccatum 2. par. §. 9. ad fin. Castald. de Imperatore q. 53. num. 13. & 16. Menc. Illust. cap. 21. à num. 11. & Suar. lib. 3. contra errores Angliæ cap. 5. num. 7. & de Regno Lusitaniæ Ferretus de iusto, & iniusto bello num. 24. Nauar. cap. nouit, not. 3. nu. 161. & Burgus in proemio ad leges Tauri n. 144. Nam licet olim Lusitania Imperio Romano suberat iuxta l. in Lusitania. ff. de censibus, de facto, nã de iure dubitant multi, vt per Nauar. capit. nouit not. 3. num. 167. postquam tamen Gothorũ gens à populi Romani subiectione Hispaniam liberauit, & deinde alij eam ab infidelium faucibus erue re; absque dubio nec Hispania, nec Lusitania aliũ superiorem recognoscit in temporalibus præter proprium Regem, vt bene probant prædicti Doctores.

10 Hoc autem non simpliciter, & generaliter admittendum erit, ita vt in vniuersum maris tractũ Imperator, seu Reges Imperatoria potestate fulgen

gentes fundatam habeant intentionem quoad iurisdictionem, vt voluere post alios Alexander cōsil. 87. num. 17. in fin. vol. 6. Martin. Laudensis tractat. de Princip. not. 181. Castaldus de Imperatore q. 52. num. 4. hanc enim iurisdictionem reiecimus supra cap. 10. à num. 16. sed intelligendū est, vel respectu Prouinciarum, quę illorum iurisdictioni subsunt, vel respectu maris, cuius curam, & protectionē, sumptibus, & nauigationibus pręoccupauere, prout explicauimus cap. 8.

11 Quamuis namque ea nauigatio, & protectio omnibus de iure naturali, seu gētium sint cōmunia, sicut & pleraque, quæ in contrarium adducit Incognitus; attamē diuersū, vel populi, vel principis voluntate non nunquam obseruatur, nam & Imperator mundi (hoc est partis sibi subiectę, vt supra obseruauimus) dominus est, & lege à se probata mare iudicatur l. Deprecatio. ff. ad l. Rhod. Alciat. 2. disp. cap. 5. itaque Princeps circa hæc, vt ex æquo bono visum ei fuerit, statuere potest, neque enim Augusti potestas minor est, quam publicæ legis. §. nemo retia de pace tuenda; lege autē publica etiam mari seruitus imponi l. Venditor in princ. à sensu contrario. ff. communia præd. & maris proprium ius ad aliquem priuatum sic pertinere potest, vt prohibito ius suum exercere, vti possidetis interdictum responsum sit competere

l. Sanè

l. Sanè si maris de iniuriis, idem etiam priuati iuris per longissimum tempus viuorum memoriam su perantis præscriptionem adquiri in mari posse, si cut & in fluminibus receptum est, l. Si quisquam de diuers. l. Vsum aquæ. C. de aquæ ductu, iuncta l. 1. §. vltim. de aqua pluuia arcend. quod quidem vel maximè obtinebit, sicubi non præscriptione modo, sed consuetudine quoque aliquid sit iuris naturalis gentium ve placitis circa vsum maris de tractum, aut immutatum. Nā ea, quæ longa con suetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos obseruata, non minus quam ea, quæ scripta sunt, iura seruantur, si verò nihil iuris specialis, vel Principis autoritate, vel præscriptione, vel cōsuetudine, quæsiti proponatur, illud ius obtinebit, nē pe vt mare, marisque littora omnium existimentur esse communia, ita eleganter discurrit Claudius. §. & quidem Inst. de rer. diuisione.

13 Ex cuius resolutione tripliciter maris iurisdictio, protectio, seu potius proprietas ad Imperatorem, Reges ve supremos competere potest: primò quando iura Regalia exercent in Prouincias mari adiacentes. Tūc namque sicut & in littora Imperium habent l. 3. ne quid in loco publico, habebunt & in mare, cum littus pars sit maris, & eodē iure censeantur, & propterea vtraque dicantur publica l. Pen. ff. de rerū diuis. hoc est in vsu populi, seu

ſeu Prouinciæ,cui marc adiacet, vt doctè exponit Donellus lib.4.cap.2.in fin.& hinc procedit claſſium miſsio ad protectionem,& Imperium maris defendendum l. Vnica.C.de claſsicis vectigalium axactio,& ſimilia,vt reſoluiſti cap.10.à num.33.& hoc cap.à num.8.

13 Secūdò ex præſcriptione prout admittit recepta doctorum ſententia,vt conſtat ex Bart. l. Sanè de iniur.& ex Angelo, Alberico, Cum. & Cuiat. l.fin.ff.de vſucap.Cæpola de ſeruit.ruſt.capit.26.à num.6.Balbo de præſcriptionibus 4.p.5.prin.q.6. à num.5.Stracha de nauigat.à num. 6. Peregr.de iure fiſci lib.1.tit.1.num.17.& 18.Ruino conſ. 28. num.9.11.& 14.vol.1.(qui contra preſcribentem ius piſcandi ſcripſit)Matthæacius de via,& ratione iuris cap.36.à num.11.lib.1.Angel. in l. Inſulæ. ff.de iudicijs,ius Venetorum , & Genuenſium in ſuis gulfis defendentibus, nec contrarium tradit Caſtrenſis l.fin.ff.de vſucap.imò vt paulo poſt demonſtrabimus,in eadem eſt ſententia,& cōtra Incognitum retorquebitur,& ita hec ſententia receptiſsima eſt contra vnum Menchacam,qui nullo ſolido fundamento à Doctorum torrente diſceſsit,de quo inferius.

14 Requirunt autem citati Doctores immemorialem præſcriptionem,quæ ſententia probari poteſt primò ex eo,quia vſus aquę vetus,dominioque lō-

go

go constitutus acquiri potest, vt decidunt Cæsares l. Vsum. C. de aquę ductu: nam quidquid Castrensis l. fin. de vsucap. interpretetur decisionem de aqua priuata, offendit titulum, & contextum, dùm principalis licentiæ mentionem facit, quæ in priuatæ aquæ deductione locũ habere non potest, quod Incognitus c. 7. non aduertit, dum Castrensem in illa interpretatione laudat, & sequitur.

15 Secundò ex Papiniani responso l. fin. de vsuca. dum se restringit ad longi temporis præscriptionem, sed quia Incognitus d. cap. 7. respondet Iurisconsultorum tempore præscriptionem nihil aliud esse, quam exceptionem, & ideo non de illa, sed de hac intellexisse Papinianum.

16 Obiectioni satisfit dicendo in specie Papiniani agi principaliter de prescriptione, hoc est de adquisitione, quæ fit per possessionem, vt constat ex illis verbis, *præscriptio longæ possessionis ad obtinenda loca*, sed apertius ex Iauoleni responso l. ei, a quo 21. de vsucap, ibi: *Longi temporis præscriptio nõ durabit*, in quo præscriptio necessario intelligitur de adquisitione, de qua Iurisconsultus quæstionem proposuit, vt patet, ibi: *An durare nihilominus vsucapionem*, & de exceptione nulla illic quæstio, nec verbum; vrget etiam absque cauillatione Marcianus in l. 3. ff. de requir. reis, *quamcumque*, ait, *quæstionem apud fiscum si non alia sit præscriptio, viginti annorum silentio præscribi*

Diui

Diui Principes voluerunt, accedit & rubrica. ff. de exceptionibus, præscriptionibus, & prçiudicijs, vbi copula, & tanquam diuersa coniungit, præsertim quia si præscriptio est exceptio, frustra vltra titulũ de exceptionibus, adijcitur titulus de diuersis, & tẽporalibus præscriptionibus.

17 Sed Incogniti tergiuersationem omnino euertit Zenonis constitutio l. Si diligenter in fine. C. de aquæ ductu, sic decidens, *nec longi temporis præscriptione ad circunscribenda ciuitatis iura profutura*: ex quo constat Imperatorum sæculo, & quando iam præscriptio longissimi temporis, & immemorialis cognita fuit, loca publica per longi temporis spatium adquiri non potuisse, sic significat textus diuersum dicendum fore, si saltem immemorialis concurreret; patet item Imperatorem agere de adquisitione.

18 Non tamen negamus præscriptionem sumi etiam & frequentius apud Iurisconsultos pro exceptione, vt in l. Vlt. ff. de suspect. tut. l. pen. ff. de re iud. l. Qui agnitis. ff. de except. l. Quisque. C. finiũ regund. vbi gl. & suadetur ex rubrica ff. de except. præscript. & C. de exception. seu præscription. vbi glos. sed in hac materia primo audiendi non sunt Ioan. Faber, & Angelus & nouiores in rubrica instit. de exception. & alij quos refert & sequitur Couar. reg. possessor in princ. numer. 3. & 4. vers. 6. &

Ant.

Ant.Faber lib.7.coniect.c.9.& lib.19.c.10. resoluentes præscriptionem, & exceptionem non differre, differunt namque, vt ex supra dictis,& dicendis constat.

19 Secundò reijciendi etiam sunt Bart. & Paulus in rubrica.ff.de exception. Decius, & Parisius in rubrica extra de exception.à n.9.Conan.lib.3.ca. 11. an. 2. dum constituunt differentiam inter exceptionem,& prescriptionem,tanquam genus,& speciem, ita vt exceptio comprehendat quamcumque exceptionem,per quam actio,vel intentio excluditur,iuxta text. in l. 2. ff. de exception. prescriptio vero concernat speciem exceptionis, quæ ex tẽpore nascitur iuxta Pauli acceptionem in l.creditor. ff. de diuersis,& temporalibus cum similibus sub illo titulo de diuersis & tempor. sicut & diffinit glos. in summa. 16. q. 3. refellitur enim horum cõsideratio: quoniam plures dicuntur præscriptiones, quæ ex tempore non oriuntur vt constat ex Modestini responso ibi. *Nec rei iudicatæ præscriptionem opponi.* l. qui agnitis, de except. eodem sensu sumit Macer.l.pen.ff.de re iudicata, & fori præscriptione vtitur Iustinianus. l.pen. C. de pact.plura alia exempla refert Parlador. lib. 1. quotid. ca.1.§.1.nu.3.& 4.obseruans præscriptionem comprehendere etiam alias præscriptionum species præter temporalem.

Tertio cauendum est ab Alciato in l. quinque pedũ n. 72. C. fin. regund. Cou. reg. possessor. 1. p. in initio. n. 6. Parlador. lib. 1. quot. c. 1. §. 1. n. 7. Donello lib. 22. c. 1. in fin. vbi Osual. litt. P. post Turaminũ ad l. nõ puto 3. p. q. 2. n. 3. ff. de iure fisci, existimantibus verbum, *præscriptionis*, pro adquisitione barbarum esse, & incognitũ iurisconsultis: decipiuntur namq; quia reperitur in ea significatione tã apud bonos autores, quam apud Consultos vt ostendunt Conanus lib. 3. c. 11. nu. 2. Cuiat. & Othomanus in princip. Inst. de vsuc. aperta enim sunt responsa. l. qui alienam 54. in princ. ff. de euiction. vbi Caius, *qui alienã rem vendidit post longi temporis præscriptionem, vel vsucapionem desinit emptori teneri de euictione*, quis vnquã dixit post longi temporis exceptionem, itaq; cum vsucapio in eo responso ad adquisitionem referatur, cur præscriptio ad diuersũ sensum? idẽ probat text. in l. ei a quo 21. l. vlt. ff. de vsucap. vt supra aduertimus, quidquid Alciat. & Couar. respondere nitantur, sic & Iulius Paulus lib. 5. senten. sub tit. de vsucapione, vtitur verbo, *præscriptione*, & tamen nõ agit de exceptione sed de adquisitione vt constat non solum ex rubrica, sed ex illis verbis *longi temporis præscriptio inter præsentes continuo decennij spatio, inter absentes vicennij comprehenditur*, sic & Iustinianus accipit in rubrica Instit. de vsucap. & longi temporis præscriptionibus,

bus, licet Cuiat.& Othom.contra receptos Codices legāt, *& longi temporis possessionibus* cū sub eo titulo Iustinianus nō agat de exceptione,sed de adquisitione,quę fit per longi tēporis possessionem in princip.vers.& ideo,& in §. quod autē, quā adquisitionem Imperator in rubrica pręscriptionē dixisse videtur,idemq; habet Theophilus meus,licet in aliis posterioribus codicibus mutata sit rubrica,forsan ex prædictorum autoritate; multa alia inferri poterant contra iuris magnates, qui in re clara Iurisconsultorum responsa sine vlla necessitate ad diuersos sensus retorquere voluere.

21 Et congruit verbum *præscribere*,quod accipitur pro scribere,seu intitulare,& pro præfinire,vt constat ex Thes.Calep.Nizolio Conan.Alciat.& aliis supra: merito igitur qui rem per vsum,& possessionē adquirit, præscribit eam sibi,& præfinit dominium, seu ius alterius, & ipsa adquisitio dicitur præscriptio quasi intitulatio, & præfinitio, iuuat l.vlt.§.sin autem ibi :*Vt nec vsucapio, nec longi temporis præscriptio procedat*. C. communia delegatis l.quemadmodum in fine ibi : *Vendicationem damus longi tēporis præscriptione submota*. C. de agric. lib. 11.sed irrefragabilis est decisio l.1.C. ne rei dominicę tēporis pręscriptione submoueatur à nemine in id expensa.In rubro namq;præscriptio exprimitur,in nigro autem exponitur definitionis verbū

ibi: *omni temporis definitione submota*, quod verbum præscriptionis vim, non vero exceptionis signifi cat.

22 Quarto constat falli Parladorũ lib. 1. rer. quotid. c. 1. in princ. n. 3. ad fin. dum secure affirmat in titulo ff. de Vsucap. nullum Iurisconsultũ vsum fuisse verbo præscriptionis, quod credendum nõ esse ait de viris doctissimis, & elegantissimis; sed Iauolenus in l. ei a quo 21. & Vlpian. in l. vlt. ff. illo tit. eo verbo vtuntur, & quod magis est, verba prædicta nullo apto sensu capi possunt pro exceptione, vt supra ostẽdimus: ratio vero quare Iurisconsulti frequentius verbo vsucapionis, quã præscriptionis vsi sunt, ea est, quoniã vsucapio est possessione capio, & ita propijssime significat adquirere rẽ possessione: pręscribo vero significat intitulare mihi, & præfinire terminum alteri & cũ vtrumq; reperiatur in vsucapione, Verbũ illud non barbarum, sed potius elegans ad eam adquisitionem significandam ab effectu dici debet.

23 Quinto falsum quoq; puto quod firmat glossa magna in l. 1. C. si aduersus creditorem lib. 7. quam sequitur Parlardor. lib. 1. quotid. cap. 1. §. 1. numero quinto, et nemine citato Ant. Faber. lib. 19. coniectur. cap. 10. et 12. scilicet ex longi temporis præscriptione non produci actionẽ nec Dominium, ita vt res per longi temporis præscriptio-

criptionem quæsita vendicari non possit, mouetur Faber ex l. Si duo 13. §. 1. ff. de iur. iurand. vbi habetur, *Iulianus ait eum, qui iurauit fundum suum esse, post longi temporis præscriptionem, etiam vtilem actionem habere debere*, sed horum opinio vera non est prout probant post alios Couar. regul. possessor 3. p. in princ. à numer. 2. Pincl. in authent. Nisi nume. 36. Menchaca Illustr. cap. 54. column. 2. Corras. 6. miscel. capit. 10. numer. 3. & constat primo ex eadem l. Si duo, quia vltra vtilem actionem, quæ ratione iuramenti competit, supponitur directa ex particula, *etiam*, vt aduertit Couar. numer. 4. dicto loco: item quia traditio illa, quod actio vtilis importat dominium vtile, directa directum, exploditur, tùm quia dominij directi, & vtilis apud Iurisconsultos mentio non habetur, nec est considerabilis ex Valasco de iure emphyt. quæstion. 13. num. 2. Tùm etiam quia actio vtilis in rem competit nullum dominium habenti l. Idem Pomponius. §. de arbore. ff. de rei vendic. l. Si mulier 30. §. fin. cum sequent. ff. de donation. inter virum l. 1. C. de donat. quæ sub modo. §. si quis in aliena, Institut. de rerum diuisione cum alijs, docent Bart. numer. 1. Paulus, & alij in l. Si culpa. ff. de rei vendicat. Concius ad §. præterea, verbo, *videntur* Institut. de rer. diuis. sed est textus expressus in l. Si quis emptionis 8. in princ.

C.de præscript.30.ibi:*Posse eum* (scilicet præscribẽtem per longi temporis possessionem) *etiam actionem ad vindicandam rem eandem habere sancimus, hoc enim & veteres leges (si quis eas rectè inspexerit) sanciebant*, quidquid Faber d.cap. 12. hunc vltimum vers. quod id a veteribus etiam insinuatum fuerat falsum, & à Triboniano adiectum affirmet, quod non probat, nisi fragili coniectura.

24 Ratio autem, ob quam communis doctorum sententia existimauit præscriptionem non importare adquisitionem, & consequenter nec actionẽ, sed tantum exceptionem ea mihi fuisse videtur quoniam in l. Super longi l. Si quis emptionis. §. 1. C. de præscript. 30. cum alijs, non dicitur quod præscribenti competat actio aut dominium, sed exceptio, qua se defendat a domino antiquo; planè hæc exceptio presupponit dominium in domino antiquo l. 2. ff. de except. sed hoc fundamentũ parui momenti est, quia iura illa agunt de præscribente possessore, quo casu nõ de actione, sed de exceptione agendum erat, & tunc exceptio est non actionis, aut dominij in agente, sed intentionis exclusio; vt est communis in d. l. 2. Corras. libr. 6. miscel. capit. 10. numer. 3. Mench. Illust. cap. 54. num. 9.

25 Sextò ex mente Alciati in l. Quinque à n. 52. & à n. 63. C. finium regund. & lib. 4. disp. cap. 23.

Reuard.

Ræuard. de preiudicijs ex capit. 8. Osualdi post alios ad Donel. lib. 22. cap. 1. litter. N. resoluendum est præscriptionem tunc importare exceptionem quando illa in principio litis proponenda est, & tractanda ante probatam intentionem auctoris, siue sit dilatoria iuxt. l. penult. & vlt. C. de except. siue peremptoria ex ijs, quæ ante litis contestationem proponi possunt, de quibus in cap. 1. vers. nisi de litis contest. lib. 6. quę explicatio satis colligitur ex l. Si maritus 15. ff. de adulterijs, ibi: *Præscriptiones, quæ obijci solent accusantibus adulterij, ante solent tractari quam quis inter reos recipiatur, cæterum postquã semel receptus est, non potest præscriptionem obijcerę*, ex Quint. & Fortunat. quos referunt Alciat. Couar. num. 1 Osuald. d. locis; constat igitur ex supradictis pręscriptionem olim, & hodie importare etiã ex materia subiecta adquisitionem, prout capitur in l. vlt. ff. de vsucap. vt supra aduertimus, qui est huius argumenti scopus.

26 Tertiò principaliter ex consuetudine (quæ est altera natura Molin. lib. 2. capit. 2. num. 21.) ius illud nauigandi adquiri potest, vt Claudius. §. & quidem Inst. de rer. diuis. & communis doctorum supra relata docet, qui dum præscriptionem probant, à fortiori id admittunt consuetudine interueniente, quibus addo Roland. cons. 5. à num. 68. vol. 1. Alexandr. Raudensis decis. 6. Pisana nu. 23.

par. 1. quod tamen Menchaca Illustr. cap. 89. nu. 36. & in illius verba iurans Incognitus cap. 7. non concedunt dicentes nullum in proposito dari inter præscriptionem, & consuetudinem discrimē, & cum præscriptionem negent, negant & consuetudinem, sed vterque vtroque claudicat pede, tū quia & præscriptio locum habet in nostra specie, et iam probauimus, & clarius ex argumentorum solutione patebit.

27 Tum etiā quia in hoc casu magis videtur agi de consuetudine quam de præscriptione, vt tradunt Faber, & Angel. §. flumina nu. 3. Institut. de rer. diuis. Claudius d. §. & quidem, Balbus de præscr. 4. p. 5. princip. q. 6. n. 2. Ruynus cons. 28. numer. 11. lib. 1. aduertit Molin. lib. 2. cap. 2. num. 11. & iura in nostris terminis passim verbo consuetudinis vtuntur, sic Iurisconsultus in l. Iniuriarum 13. §. fin. ff. de iniurijs, iniusta vti consuetudine dicit, per quam priuatus prohibet aliquem piscari, igitur si iure prohibeat, prout admittit idem Menchac. Illustr. cap. 89. num. 38. & Incognitus d. capit. 7. admittens id in fluminis diuerticulo, iusta vtetur consuetudine, sic Iurisconsulti, l. 1. §. fin. ibi: *Habuisse longa consuetudine*. ff. de aqua pluuia & Cesares l. Vsum. C. de aquæ ductu, similiter vetustatem seu consuetudinem dicunt, Pontifex eodem verbo vtitur cap. super quibus. §. præterea de

verb.

verb. per cuius decisionem dixit Mench. Illust. c. 83. n. 23. sibi contradicens inepte vocari præscriptionẽ eam, quæ immemoriale tempus excedit, sed potius vocandam consuetudinem: addo quod in nostris terminis propriè dicitur consuetudo, quã resp. Lusitanorũ cõtra aliosintroduxit, iux. resoluta c. seq. n. 11. cũ seq. tradit Rol. cõs. 5. à n. 74. lib. 1.

28 Ego noto Doctores, qui immemorialem requirunt præscriptionem in hac specie, supponere ius hoc supremo Principi competere, qui priuilegio, illud concedere potest, vt docet glos. in l. Sanè. ff. de iniur. recepta, & cum priuilegium deficit, immemorialis consuetudo in priuilegij vim allegari, & prodesse solet, prout decidit Pont. c. super quibusdam. §. præterea de verb. signifi. Afflict. decis. 254 num. 4. quæ consideratio locum non habet in ijs, quæ Imperatori, alijsve Principibus supremis nõ subsunt: tunc enim dici potest supremo Principi, qui ius nauigandi sibi appropriat, & vendicat, immemorialem præscriptionem necessariam non esse, sed sufficere præoccupationem, & destinationem, prout resoluimus cap. 8.

29 Et in hunc sensum defendi potest opinio Pauli l. Vltim. nu. 4. de vsucap. Balbi de præscript. 4. par. quartę quæst. 6. num. 1. & Suarij allegatione 17. n. 5. resoluentium ad acquirendum ius piscandi, nauigandi, & similium non esse necessariã vllã

præscriptionem, sed sufficere præoccupationem: quoniam in publicis ille præfertur, qui prius incipit ex glos. verb. ad obtinēdum l. 2. §. 1. ff. ne quid in loco publico recepta per omnes ibi & Salicetum in l. Per agrum. C. de seruit.

30 Quę Pauli & sequacium opinio indistincte vera non est, quia Iurisconsultus. l. Si quisquam 7. de diuers. & temporalibus, ad adquirendum ius prohibitionis requirit, quod prohibens pluribus annis solus piscatus sit; & constat quia in his rebus ita vsus communis est, vt tamen alios prohibere non posit l. Imperatores de seruit. rustic. l. Nemo de rer. diuis. & prohibitus agit iniuriarum actione l. iniuriarū. §. si quis me de iniurijs l. 2. §. si quis in mari ne quid in loco publico, vndè vt alijs prohibere posit, necessaria est præscriptio ex doctrina glos. primæ in l. Sane, ff. de iniurijs, & verb. omnibus. §. flumina Institut. de rerum diuis. vbi faber post princip. & Dec. cons. 270. n. 11.

31 Habebit ergo locum prædicta opinio, & illius fundamentum inter supremos Principes in illis rebus, quę per alterum præoccupata non sunt, & ita in nostris terminis nauigationis Indicæ significat Alexander VI. in sua diuisionis Bulla relata per Petrum Matthæum, & Laertium Cherubin. tom. 1. in Alex. VI. dum aliorum Principū, qui occuparūt, ius excipit, sic innuens sufficere inter eos præoccupationem. Ra-

32 Ratio differentiæ fatis patet: quoniã supremus Princeps alterius priuilegio ad occupanda iurisgẽtium loca non indiget, ac percõsequens nec præscriptione immemoriali, quę priuilegij vim obtinet, cap. super quibusdam. §. præterea de verborũ; per contrarium vero priuatus cum ea loca vetante lege possidere non possit, l. Vltim. de vsucap. at per consequens nec præscribere l. Vsucapionẽ de vsucap. indiget vtique Principis priuilegio l. Sanè vbi gloss. & omnes de iniurijs, & in illius locum, & vim immemoriali præscriptione ei opus est l. 3. §. ductus, de aqua quotid. secundum communem allegationem, & c. 1. de præscript. in 6.

33 Vnde tentari potest Venetis non esse opus fundare Adriatici maris ius, & possessionem in Imperatoris priuilegio, vel in illius locum immemoriali possessione, vt scribentes volũt, sed in preoccupatione obtẽta, & defensa etiam antequam Imperator Occidẽs, vel Oriens existeret, illiusve maris Imperium obtineret. Nam à Troya capta Venetiarum gens, & Imperium cœpit Liu. decad. 1. lib. 1. in initio: siue etiam ab Attilæ Hunnorũ Regis tempore, qui anno 454. Aquileam euertit, vel potius post Imperij Constantinopolitani declinationem, cũm mare illud sub nullius esset protectione, excursionibus etiam piratarum expositũ, & hæc forsan ratio magni foret momenti in illa

Soli-

celebri disceptatione, quæ ex Imperatoris, Austriaci Archiducis, & Venetorum placito Viennæ anno 1614. habita est, & in Venetiarum fauorem obtinuit sententia, vt constat ex supplemento 2. ad Archiepiscopum de Zara in historia degli Vscochi.

34 Quę quidem sententia omnem tollit difficultatem, quæ opponi potest nostro Asiatico Imperio; quia credendum est in re tanti momenti peritissimos Iurisconsultos interuenisse, qui pro Imperatoriæ, & Austriacæ Maiestatis iure nihil intactũ relinquerent, & tamen veritati sucumbentes Venetorum ius ab alijs Principibus obseruãdum agnouerunt, eo maximè, quia ius nostrum nauigandi in Indias differt maximè a iure Venetorũ in Adriatico mari, & ita fundamentum à fortiori procedit.

35 Nec obstat si quis obijciat præscriptionem rerum publicarum attento iure prohibitam esse l. Vlt. ff. de vsucapionibus, pręcipue maris, & nauigationis, quæ libera censentur etiam respectu supremorum Principum iuxt. reg. l. altius. C. de ser uit. iunctis resolutis per Alciatum regul. 2. præsumptione 3. Valascũ de iure emphyt. q. 9. à num. 12. Molin. lib. 2. de primog. cap. 6. n. 8. Menoch. lib. 3. pręsumpt. 91. à princip. ac proinde necessaria erit immemorialis pręscriptio iuxt. c. 1. de pręs Præ- in 6.

Sed

36 Sed huic obiectioni satisfit ex traditis per Abbat.num.34.in cap.si diligenti de præscript. & alios, quos sequitur Couar.lib.1.variarum c.17.n.7.distinguendo inter ius commune ita vehementer resistens, vt vehementer etiam prohibeat possessionem rei, & inter ius non ita resistens, nec prohibens possessionem, vel prescriptionem, ita vt in priori membro procedat d.c.1.in posteriori serui tutum præscriptio in liberis rebus iux. text. cum materia in leg.si quis diutina.ff.si seruitus vendicetur.

Verum hæc responsio refellitur à Menchaca Illust.cap.87.n.3.& merito tum quia text.in d.c.1.non fundatur in graui, vel vehementi resistentia iuris possessionem prohibentis, sed tantum attendit presumptionem iuris communis esse contra præscribentem, tùm etiam quia falsum est dicere in terminis d.c.1.ita ius resistere, vt prohibeat possessionem, quod si verum esset, nec titulus sufficeret ex reg.l.Vbi lex.ff.de vsucapion. reg.sine possessione in 6.aduertit in specie Couar. regul. possessor 2.part.§.10.num.7.

37 Quare resoluendum est reg.l.Vltimæ, ff.de vsucap.procedere quoad priuatos, vt sæpius animaduertimus, & inde ius commune non esse contrarium adquisitioni, & præscriptioni Principum circa res publicas, imo conforme, dùm admittit dispositi-

positionem Principis supremi circa eas res. l. quo minus. ibi: *nisi Imperator*. ff. de fluminibus text. optimus in l. iniuriarum 13. §. si quis me. ff. de iniurijs, postquã enim Vlpianus iniuriarum actione teneri eum, qui me in mari, vel diuerticulo piscari prohibeat, prædixerat, excipit, vel potius contrariam regulam constituit in publico conductore, cui interdictum veteres concessisse asserit, sed elegantior mihi est textus à nemine in id expensus in l. 2. §. si quis à Principe. ff. ne quid in loco publico, *si quis à Principe*, ait Vlpianus, *simpliciter impetrauerit, vt in publico ædificet, non est credendus sic ædificare, vt cum incommmodo alicuius id fiat. Neque sic conceditur: nisi fortè hoc quis impetrauerit*. glos. vlt. ibi recepta ex Pinel. in rubrica de rescind. p. 1. cap. 2. nume. 8. concludit text. intelligendum cum modico præiudicio, quæ interpretatio exploditur à Pinel. d. n. 4. tanquam diuinatoria, & contraria iustitię, quæ etiam in paruis violatur: vnde ipse noue intelligit Iureconsultum meminisse solius impetrationis, vtrùm verò iusta, vel iniusta esset, non decidisse, sed in dubio reliquisse: ac proinde si læso satisfiat damnum, erit iusta impetratio, & admittenda: deficiente verò satisfactione, erit iniqua, & reijcienda: sed explicatio hęc eodem diuinationis, & suppletionis vitio laborat, quo glosæ intellectum reijcit Pinel. destruitque textum,

Ego

Ego autem puto textum simpliciter admittendum cum incommodo omnium, quibus publicus vsus communis est d. lege 2. §. hoc autem interdictum, vers. loca, idque absque vlla satisfactione, quæ vltra alia esset impossibilis, si singulis ciuibus, & subditis satisfaciendum esset, & quia communicatio vsus communis prouenit à dispositione, & voluntate reipublic. dicto. versiculo loca.

38 Et quamuis prędicta, & similia procedant respectu reipublicæ quoad suos subditos, euincunt quoad propositum etiam in his, quæ omnibus communia sunt, si occupationis sint capacia, ad effectum vt occupans præferatur alijs Principibus absque vlla alterius Principis voluntate, & titulo, & ita in nostra specie non habet locum decisio d. cap. 1.

Licet enim loca iuregentium publica censeantur libera etiam respectu Principum supremorum; ea tamen præsumptio non euincit iuris resistentiam ad impediendam possessionem, & prę̨scriptionem, imo nec in inferioribus Iuris præsumptio immemorialem requirit, vt patet ex l. si quis diutina. 10. ff. si seruitus vendicetur ibi: *non ei necesse est docere de iure,* hoc est de titulo, quod constat, quia textus in d. c. 1. agit de iure cõmuni contra præscribentem, non vero de resistentia contra posses-

possessionem, vt bene aduertunt Bero.n.18.in ca. de quarta de præscript. Florian.n.fin. vers. etsi dicatur in l.Seruitutes.ff de seruit. Couar.reg.possessor 2.p.§.10.num.7.tunc enim dicimus, quod est valde notandum, præsumptionem iuris resistere prescribenti in specie d.cap.1.quando ius rem, de qua agitur, concedit alijs, & negat prescribenti, vt in exemplis glosse magne, Auchar.n.3.Fran.9.in d.cap.1.in nostra vero specie nullum ius concedit alijs Principibus nauigationem Indicam denegãdo eam Hispanis, sed omnibus communis est, & libera; ea vero libertatis presumptio operatur, vt qui dicit possessionem priuatiuè quoad alios adquisiuisse, teneatur eam probare, licet in quasi possessione existat iuxt. d.l. altius l.si edibus. C. de seruitut.

39 Repugnat namque primeuus rei status, & ideò non releuat posidentem ab onere probandi, communis ex Padill.nu.2. in d.l. si edibus, hec autem presumptio primeui status tollitur per possessionem longi temporis d.l.si quis diutina, onusque probandi incũbit aduersario iuxta l. 1. iuncta gl. C. de patria potestate, Tyraq. de prescript. glos. 4.num.22.Gabriel.lib.Commun.tit.de prescription.concl.1.num.31.Padilla.nu.4.vbi supra post alios, & in nostra specie legitimis alijs modis Princeps suam possessionem probabit ad excludendos

dos alios Principes ab ea libertate, absque eo quod alterius titulo, vel priuilegio indigeat, nec percō-sequens immemoriali indigebit.

40 Ex his constat planè de Lusitanorum iure circa Indicam nauigationem, siue pręoccupationẽ, siue præscriptionem, siue consuetudinem immemorialem cōsideres: de præoccupatione patet ex omnium confessione, & ex his, quæ latè congessimus cap. 3. cum seq. si vero pręscriptionem etiam immemorialem respicias, idem quoque dicendū erit: nam ius illud Indicæ nauigationis Lusitanis priuatiuè iam inde à Martino V. competiuit, à quo impetratum est, (quod ipsum ab alijs de inde Pontificibus confirmatum constat ex relatis supra cap. 7.) vt quidquid à Canaria ad vltimam vsque Indiam patefieret, id quam optimo iure, & cōditione Lusitanicæ ditionis esset ad Henrici Lusitanię Infantis instantiam, ne conquirendi ardor in posteris refrigesceret, Maff. lib. 1. histor. Indic. pag. 5. Martinus vero ad summum Pontificatus fastigium assumptus est anno 1417. Platina, Illescas, & cæteri, idem quoque concessit Sixtus IIII. anno 1481. in bulla incipit. Æterni Regis clementia; quæ originaliter continetur in archiuo Regio olysipponensi, Nicolai IIII. & Calixti III. similes bullas referens, iam enim ostendimus cap. 8 de stinationem illam de se sufficientem esse ad adqui

par. 1. quod tamen Menchaca Illustr. cap. 89. nu. 36. & in illius verba iurans Incognitus cap. 7. non concedunt dicentes nullum in proposito dari inter præscriptionem, & consuetudinem discrimē, & cum præscriptionem negent, negant & consuetudinem, sed vterque vtroque claudicat pede, tū quia & præscriptio locum habet in nostra specie, et iam probauimus, & clarius ex argumentorum solutione patebit.

27 Tum etiā quia in hoc casu magis videtur agi de consuetudine quam de præscriptione, vt tradunt Faber, & Angel. §. flumina nu. 3. Institut. de rer. diuis. Claudius d. §. & quidem, Balbus de præscr. 4. p. 5. princip. q. 6. n. 2. Ruynus cons. 28. numer. 11. lib. 1. aduertit Molin. lib. 2. cap. 2. num. 11. & iura in nostris terminis passim verbo consuetudinis vtuntur, sic Iurisconsultus in l. Iniuriarum 13. §. fin. ff. de iniurijs, iniusta vti consuetudine dicit, per quam priuatus prohibet aliquem piscari, igitur si iure prohibeat, prout admittit idem Menchac. Illustr. cap. 89. num. 38. & Incognitus d. capit. 7. admittens id in fluminis diuerticulo, iusta vtetur consuetudine, sic Iurisconsulti, l. 1. §. fin. ibi: *Habuisse longa consuetudine*. ff. de aqua pluuia & Cesares l. Vsum. C. de aquæ ductu, similiter vetustatem seu consuetudinem dicunt, Pontifex eodem verbo vtitur cap. super quibus. §. præterea de

verb.

verb.per cuius deciſionem dixit Mench.Illuſt.c. 83.n.23.ſibi contradicens inepte vocari præſcrip tionẽ eam,quæ immemoriale tempus excedit,ſed potius vocandam conſuetudinem:addo quod in noſtris terminis propriè dicitur conſuetudo,quã reſp.Luſitanorũ cõtra alios introduxit,iux.reſolu ta c.ſeq.n.11.cũ ſeq.tradit Rol.cõſ.5.à n.74.lib.1.

28 Ego noto Doctores,qui immemorialem requi runt præſcriptionem in hac ſpecie,ſupponere ius hoc ſupremo Principi competere,qui priuilegio, illud concedere poteſt,vt docet gloſ.in l.Sanè.ff. de iniur.recepta,&cum priuilegium deficit,imme morialis conſuetudo in priuilegij vim allegari,& prodeſſe ſolet,prout decidit Pont.c.ſuper quibuſ dam.§.præterea de verb.ſignifi.Afflict.deciſ.254 num.4.quæ conſideratio locum non habet in ijs, quæ Imperatori,alijsve Principibus ſupremis nõ ſubſunt:tunc enim dici poteſt ſupremo Principi, qui ius nauigandi ſibi appropriat,& vendicat, im memorialem pręſcriptionem neceſſariam non eſ ſe,ſed ſufficere præoccupationem, & deſtinatio- nem,prout reſoluimus cap.8.

29 Et in hunc ſenſum defendi poteſt opinio Pau li l.Vltim.nu.4.de vſucap.Balbi de præſcript.4. par.quartę quæſt.6.num.1. & Suarij allegatione 1,7.n.5.reſoluentium ad acquirendum ius piſcan di,nauigandi,& ſimilium non eſſe neceſſariã vllã

S 5 præſ-

præscriptionem, sed sufficere pręoccupationem: quoniam in publicis ille præfertur, qui prius incipit ex glos. verb. ad obtinẽdum l. 2. §. 1. ff. ne quid in loco publico recepta per omnes ibi & Salicetum in l. Per agrum. C. de seruit.

30 Quę Pauli & sequacium opinio indistinctè vera non est, quia Iurisconsultus. l. Si quisquam 7. de diuers. & temporalibus, ad adquirendum ius prohibitionis requirit, quod prohibens pluribus annis solus piscatus sit; & constat quia in his rebus ita vsus communis est, vt tamen alios prohibere non possit l. Imperatores de seruit. rustic. l. Nemo de rer. diuis. & prohibitus agit iniuriarum actione l. iniuriarũ. §. si quis me de iniurijs l. 2. §. si quis in mari ne quid in loco publico, vndè vt alijs prohibere possit, necessaria est præscriptio ex doctrina glos. primæ in l. Sane, ff. de iniurijs, & verb. omnibus. §. flumina Institut. de rerum diuis. vbi faber post princip. & Dec. cons. 270. n. 11.

31 Habebit ergo locum prædicta opinio, & illius fundamentum inter supremos Principes in illis rebus, quę per alterum præoccupata non sunt, & ita in nostris terminis nauigationis Indicæ significat Alexander VI. in sua diuisionis Bulla relata per Petrum Matthæum, & Laertium Cherubin. tom. 1. in Alex. VI. dum aliorum Principũ, qui occuparũt, ius excipit, sic innuens sufficere inter eos pręoccupationem.

Ra-

32 Ratio differentiæ satis patet: quoniã supremus Princeps alterius priuilegio ad occupanda iurisgẽtium loca non indiget, ac percõsequens nec præscriptione immemoriali, quę priuilegij vim obtinet, cap. superquibusdam. §. præterea de verborũ; per contrarium vero priuatus cum ea loca vetante lege possidere non possit, l. Vltim. de vsucap. at perconsequens nec præscribere l. Vsucapionẽ de vsucap. indiget vtique Principis priuilegio l. Sanè vbi glos. & omnes de iniurijs, & in illius locum, & vim immemoriali præscriptione ei opus est l. 3. §. ductus, de aqua quotid. secundum communem allegationem, & c. 1. de præscript. in 6.

33 Vnde tentari potest Venetis non esse opus fundare Adriatici maris ius, & possessionem in Imperatoris priuilegio, vel in illius locum immemoriali possessione, vt scribentes volũt, sed in preocc̃upatione obtẽta, & defensa etiam antequam Imperator Occidẽs, vel Oriens existeret, illiusve maris Imperium obtineret. Nam à Troya capta Venetiarum gens, & Imperium cœpit Liu. decad. 1. lib. 1. in initio: siue etiam ab Attilæ Hunnorũ Regis tempore, qui anno 454. Aquileam euertit, vel potius post Imperij Constantinopolitani declinationem, cũm mare illud sub nullius esset protectione, excursionibus etiam piratarum expositũ, & hæc forsan ratio magni foret momenti in illa

sel-

celebri disceptatione, quæ ex Imperatoris, Austriaci Archiducis, & Venetorum placito Viennæ anno 1614. habita est, & in Venetiarum fauorem obtinuit sententia, vt constat ex supplemento 2. ad Archiepiscopum de Zara in historia degli Vscochi.

34 Quę quidem sententia omnem tollit difficultatem, quæ opponi potest nostro Asiatico Imperio; quia credendum est in re tanti momenti peritissimos Iurisconsultos interuenisse, qui pro Imperatoriæ, & Austriacæ Maiestatis iure nihil intactũ relinquerent, & tamen veritati sucumbentes Venetorum ius ab alijs Principibus obseruãdum agnouerunt, eo maximè, quia ius nostrum nauigandi in Indias differt maximè a iure Venetorũ in Adriatico mari, & ita fundamentum à fortiori procedit.

35 Nec obstat si quis obijciat præscriptionem rerum publicarum attento iure prohibitam esse l. Vlt. ff. de vsucapionibus, pręcipue maris, & nauigationis, quæ libera censentur etiam respectu supremorum Principum iuxt. reg. l. altius. C. de seruit. iunctis resolutis per Alciatum regul. 2. præsumptione 3. Valascũ de iure emphyt. q. 9. à num. 12. Molin. lib. 2. de primog. cap. 6. n. 8. Menoch. lib. 3. pręsumpt. 91. à princip. ac proinde necessaria erit immemorialis pręscriptio iuxt. c. 1. de pręs in 6.

Sed

36 Sed huic obiectioni satisfit ex traditis per Abbat.num.34.in cap.si diligenti de præscript. & alios, quos sequitur Couar.lib.1.variarum c.17.n.7.distinguendo inter ius commune ita vehementer resistens, vt vehementer etiam prohibeat possessionem rei, & inter ius non ita resistens, nec prohibens possessionem, vel prescriptionem, ita vt in priori membro procedat d.c.1.in posteriori serui tutum præscriptio in liberis rebus iux. text. cum materia in leg.si quis diutina.ff.si seruitus vendicetur.

Verum hæc responsio refellitur à Menchaca Illust.cap.87.n.3.& merito tum quia text.in d.c.1.non fundatur in graui, vel vehementi resistentia iuris possessionem prohibentis, sed tantum attendit presumptionem iuris communis esse contra præscribentem, tùm etiam quia falsum est dicere in terminis d.c.1.ita ius resistere, vt prohibeat possessionem, quod si verum esset, nec titulus sufficeret ex reg.l.Vbi lex.ff.de vsucapion. reg.sine possessione in 6.aduertit in specie Couar. regul. possessor 2.part.§.10.num.7.

37 Quare resoluendum est reg.l.Vltimæ, ff.de vsucap.procedere quoad priuatos, vt sæpius animaduertimus, & inde ius commune non esse contrarium adquisitioni, & præscriptioni Principum circa res publicas, imo conforme, dùm admittit dispo-

positionem Principis supremi circa eas res. l. quo minus.ibi: *nisi Imperator*.ff.de fluminibus text. optimus in l.iniuriarum 13.§. si quis me. ff. de iniurijs,postquã enim Vlpianus iniuriarum actione teneri eum,qui me in mari,vel diuerticulo piscari prohibeat, prædixerat, excipit,vel potius contrariam regulam constituit in publico conductore, cui interdictum veteres concessisse asserit, sed elegantior mihi est textus à nemine in id expensus in l.2.§.si quis à Principe.ff.ne quid in loco publico,*si quis à Principe*, ait Vlpianus,*simpliciter impetrauerit,vt in publico ædificet,non est credendus sic ædificare, vt cum incommmodo alicuius id fiat. Neque sic conceditur: nisi fortè hoc quis impetrauerit*. glos.vlt.ibi recepta ex Pinel.in rubrica de rescind.p.1.cap.2.nume.8. concludit text.intelligendum cum modico præiudicio,quæ interpretatio exploditur à Pinel.d.n. 4.tanquam diuinatoria,& contraria iustitię, quæ etiam in paruis violatur:vnde ipse noue intelligit Iureconsultum meminisse solius impetrationis, vtrùm verò iusta, vel iniusta esset, non decidisse, sed in dubio reliquisse: ac proinde si læso satisfiat damnum,erit iusta impetratio,& admittenda:deficiente verò satisfactione, erit iniqua,& reijcienda: sed explicatio hęc eodem diuinationis, & suppletionis vitio laborat, quo glosæ intellectum reijcit Pinel.destruitque textum.

Ego

Ego autem puto textum ſimpliciter admittendum cum incommodo omnium, quibus publicus vſus communis eſt d. lege 2. §. hoc autem interdictum, verſ. loca, idque abſque vlla ſatisfactione, quæ vltra alia eſſet impoſsibilis, ſi ſingulis ciuibus, & ſubditis ſatisfaciendum eſſet, & quia communicatio vſus communis prouenit à diſpoſitione, & voluntate reipublic. dicto. verſiculo loca.

38 Et quamuis prędicta, & ſimilia procedant reſpectu reipublicæ quoad ſuos ſubditos, euincunt quoad propoſitum etiam in his, quæ omnibus communia ſunt, ſi occupationis ſint capacia, ad effectum vt occupans præferatur alijs Principibus abſque vlla alterius Principis voluntate, & titulo, & ita in noſtra ſpecie non habet locum deciſio d. cap. 1.

Licet enim loca iuregentium publica cenſeantur libera etiam reſpectu Principum ſupremorum; ea tamen præſumptio non euincit iuris reſiſtentiam ad impediendam poſſeſsionem, & pręſcriptionem, imo nec in inferioribus Iuris præſumptio immemorialem requirit, vt patet ex l. ſi quis diutina. 10. ff. ſi ſeruitus vendicetur ibi: *non ei neceſſe eſt docere de iure*, hoc eſt de titulo, quod conſtat, quia textus in d.c. 1. agit de iure cõmuni contra præſcribentem, non vero de reſiſtentia contra

poſſeſ-

possesionem, vt benè aduertunt Bero.n.18.in ca. de quarta de præscript.Florian.n.fin. vers. etsi dicatur in l.Seruitutes.ff de seruit.Couar.reg.possessor 2.p.§.10.num.7.tunc enim dicimus, quod est valde notandum, præsumptionem iuris resistere prescribenti in specie d.cap.1.quando ius rem, de qua agitur, concedit alijs, & negat prescribenti, vt in exemplis glosse magne, Auchar.n.3.Fran.9.in d.cap.1.in nostra vero specie nullum ius concedit alijs Principibus nauigationem Indicam denegãdo eam Hispanis, sed omnibus communis est, & libera; ea vero libertatis presumptio operatur, vt qui dicit possesionem priuatiuè quoad alios adquisiuisse, teneatur eam probare, licet in quasi possessione existat iuxt. d.l. altius l.si edibus. C. de seruitut.

39 Repugnat namque primeuus rei status, & ideò non releuat posidentem ab onere probandi, communis ex Padill.nu.2. in d.l. si edibus, hec autem presumptio primeui status tollitur per possesionem longi temporis d.l.si quis diutina, onusque probandi incũbit aduersario iuxta l. 1. iuncta gl. C. de patria potestate, Tyraq. de prescript. glos. 4.num.22.Gabriel.lib.Commun.tit.de prescription.concl.1.num.31.Padilla.nu.4.vbi supra post alios, & in nostra specie legitimis alijs modis Princeps suam possesionem probabit ad excludendos

dos alios Principes ab ea libertate, absque eo quod alterius titulo, vel priuilegio indigeat, nec percõsequens immemoriali indigebit.

40 Ex his constat planè de Lusitanorum iure circa Indicam nauigationem, siue prçoccupationẽ, siue præscriptionem, siue consuetudinem immemorialem cõsideres: de præoccupatione patet ex omnium confessione, & ex his, quæ latè congessimus cap. 3. cum seq. si vero prçscriptionem etiam immemorialem respicias, idem quoque dicendũ erit: nam ius illud Indicæ nauigationis Lusitanis priuatiuè iam inde à Martino V. competiuit, à quo impetratum est, (quod ipsum ab alijs de inde Pontificibus confirmatum constat ex relatis supra cap. 7.) vt quidquid à Canaria ad vltimam vsque Indiam patefieret, id quam optimo iure, & cõditione Lusitanicæ ditionis esset ad Henrici Lusitaniç Infantis instantiam, ne conquirendi ardor in posteris refrigesceret, Maff. lib. 1. histor. Indic. pag. 5. Martinus vero ad summum Pontificatus fastigium assumptus est anno 1417. Platina, Illescas, & cæteri, idem quoque concessit Sixtus IIII. anno 1481. in bulla incipit. Æterni Regis clementia; quæ originaliter continetur in archiuo Regio olysipponensi, Nicolai IIII. & Calixti III. similes bullas referens, iam enim ostendimus cap. 8 destinationem illam de se sufficientem esse ad adqui

primog.lib.2.cap.6.num.44.Mascar.concl.429. numer.5.& Gregor.omnino videndo,verbo,*puedan*,l.15.titul.31.part. 3. dùm resoluunt centum annorum præscriptionem sufficere ad inducendam immemorialem, quod si in alijs hæc opinio controuersa sit,vt constat ex proximè citatis, in nostris terminis indubitabilis est,cum agatur contra Principes,qui nullum ius, nullam possessionem,imò nec notitiam Indicæ nauigationis antea habuerunt ; nec vlla in nostra specie reperiatur lex,quę immemorialem requirat,quo tantum casu Couarruu.Molina,& nonnulli alij ab illis citati contra communem ex legis forma necessariò immemorialem exigunt possessionem, nec centenariam admittunt:de varijs vero hominum vitis centum annos excedentium, quibus centenaria, & immemorialis destruitur pręscriptio,videndus Garc.de nobilit.glos.12.n.77.

44 Si verò adiungas titulum Pontificium,quo Lusitaniæ Reges ius hoc nauigandi tuentur, sufficit vtique spatium 40.annorum:hęc namque pręscriptio immemoriali æquiualens est etiam in his, in quibus ius resistit,vt Pontifices decidere capit. 1. vbi glos.de præscript.in 6.capit. cum personæ §. quòd si tales de priuileg.in 6. obseruat post alios Molin.lib.2.capit.6.numer.52.hæc exabundanti dicta intelligantur.Nam supra aduertimus princi

 pem

pem supremum præscriptione ad occupanda loca publica non indigere.

45 Cum ergo ius Indicę nauigationis Lusitanis competens omni iure, & receptis doctorum suis innitatur iuxta prædicta, quis dubitet tuta conscientia posse, & debere Lusitaniæ Reges illud retinere, & defendere contra omnes Principes, à quibus in sua possessione tot titulis vallata interturbati fuerint; vndè merito Rex Hispaniæ potest alijs principibus prohibere nauigationē maris Indici si ab illis interturbetur, vt obiter probat Petrus Calistus de lege Regia. §. 30. numero 21.

46 Docemur namque Principes supremos, qui bona fide rē possidere cœpere, & a fortiori illorū successores non teneri eā dimittere, & se ipsos spoliare, aut consortium pati, vel in arbitros consentire tametsi res sit dubia, vt resoluunt Victoria de iure belli n. 27. & 30. Molin. 2. de iust. disputat. 103. vers. in primo, & vers. quare, Vazquez 1. 2. tom. 1. disput. 64. cap. 3. à nu. 11. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 8. disp. vnica à num. 121. & in nostra specie Rebel. de iustit. 2. p. lib. 18. q. 23. num. 26. ad fin. omnino videndus.

47 Secundū, quos in eo euentu Princeps, qui arma contra possessorē moueret, grauissime peccaret, ad damnaque resarcienda teneretur, cum melior

sit

ſit conditio poſsidentis reg. in pari cauſa libr. 6. quę doctrina locum habet etiam ſi ius ſuum ſibi, ſuique Regni doctoribus probabilius videatur: adhuc contra poſsidentem arma mouere nequit, vt bene docent Vazq. nu. 13. Salas n. 132. vbi proximè, & pater Ant. Perez certam. 10. à n. 105. cõtrariũ immeritò tribuẽs Victoriæ, Nauarro, & alijs.

48 Et ex eodem capite, eſtò iuſtitia belli foret dubia, nemo ex aliena republica Batauos eo in bello iuuare, nec cum illis contra Luſitanos nauigationis, & commercij legitimos poſſeſſores in Indiã nauigare licitè poterit, & ad ſatisfactionem eſſent obligati milites, cum non ſubditi dubij de iuſtitia belli pugnando læthaliter peccent, & ad reſtitutionem damnorum teneantur, vt poſt Caiet. Syluest. & alios, quos refert, reſoluit in terminis noſtris Rebel. de iuſtit. 2. p. lib. 18. q. 23. num. 27. qui addit ſimiles confœderatos, & milites, qui opem quoquomodo Batauis exhibent contra Luſitanos, cẽſuras incurrere, iuxta bullã Calixti III. quã refert. d. q. 23. ſect. 2. cum tamen Incognitus c. 13. firmet in hęc verba pag. 65. *Secundum hæc vir bonus iudicans batauis libertatem commerciorum adiudicaret, Luſitanos & cæteros, qui eam libertatem impediunt vetaret vim facere, damna reſtituere iuberet, quod autẽ in iudicio obtineretur, id vbi iudicium haberi nõ poteſt, iuſto bello vendicatur.*

49 Sed quod sanguineis lachrymis plorandū est, Batáui cum se fidei Catholicę cultores veros, & assertores profiteantur, & iactent, attamen cum Turcis, Sarracenis, & infidelibus in sui Principis & Catholicorum perniciem fœdus ineunt, armis militibus, & exercitibus mutuo sese iuuātes, quod quidem quam sit execrandum, tàm apud homines, quàm apud Deum, facilè ostendi potest, tùm diuina pagina, tùm iure positiuo, de iure diuino inter alia extat prohibitio Exod. 23. in fin. vbi Deus populo suo prohibet, ne cum infidelibus fœdus paciscatur, ibi: *Non inibis cum eis fœdus*, & Deuteron. 17. iterum, ibi: *Non inibis cum eis fœdus*, & pluribus alijs, quæ in specie congerit Octauianus Cacheran. n. 19. in disp. an Principi Christiano fas sit cum infidelibus fœdus inire aduersus alium Principem Christianum, quæ habetur post decisiones Pedam.

50 Item Diuus Greg. Brunichildam Francorum Reginam admonet, vt subditos sceleratos puniat, ne per eam flagellum perfidarum gentium Deus inducat cap. si quos 23. q. 4. Ergò a fortiori comminandum est fidelibus, ne suo opere, industria cō siliove perfidi Turcæ, Sarraceni, & infideles in Christianorum Prouincias, & excidium immittā tur; quod & ipsi Lutherus flagellum Dei agnouit, & totis viribus resistendum apud Bellarmin.

lib. 3.

libr. 3. de laicis capite 16.

51 Sed speciatim Imperatori Catholico, ac proinde cæteris Principibus Christianis prohibita est confœderatio cum Turcis, Sarracenis, & infidelibus in clemen. vnica. §. porro de iure iurand. quamobrem caueant Batavi, qui à Turcis, alijs ve infidelibus auxilium implorāt, eosque aduersus Christianos prouocant, ne ijdem hostes in caput ipsorum conuertantur, vt clamat Octauianus vbi supra n. 27. col. 5. & ne diuinam iustitiā, ac iram in se irritent, moueantur ex Oceani inundatione, qui non semel ipsorum terras subuertit Borrel. de præst. Reg. Cath. cap. 46. n. 368. vbi monet timendum esse, ne id proueniat propter obedientiam Christo, & Regi suo denegatam, nam Asam Regem Iudà pro eo, quod Regem Syriæ mercede conduxerat contra Baasam Regem Israel, increpuit pro eo auxilio Hanani propheta, dixitque ei, stulte egisti, & propterea ex hoc tempore in te bella consurgent, Paralypom. 2. capit. 16. sic & Achaz. & vniuerso Israel ruinæ fuerunt auxilia, quæ à Rege Syriæ contra Regem Iudà implorauit Paralypom. 2. cap. 28.

52 Et quamuis controuersum sit vtrum pro iusta defensione Principi Christiano liceat fœdus inire cum Turcis, & infidelibus, vt constat ex Oldr. cons. 71. Abb. cap. quod super n. 15. de voto Mar

tin. Laudens. de bello q. 3. Ferret. de iusto, & iniusto bello n. 115. & alijs relatis per Octauian. d. loco n. 8. ad fin. & a num. 12. qui nullo casu id fas esse enixe defendit; quod & tuentur Petrinus Bellus lib. 2. de re milit. tit. 17. à n. 7. Petrus Callistus de lege Regia §. 26. n. 65. post plures, quos refer, Becan. in summa 3. tom. cap. 25. q. 6. num. 5. & 6. & & in analogia veteris, & noui testamenti cap. 17. q. 6. nam licet ad defendendum Regnum, & sua recuperandà possit Princeps infidelis in auxilium vocari, ratione tamen scandali, & damnorũ, quæ Ecclesiæ inde possent prouenire, si Ecclesiæ hostes ea ratione maiores vires aduersus Ecclesiam assumerent, terrasque fidelium ingrederentur, vel eas deuastarent, vel captiuos fideles deferrent, eosque apostatare facerent, vel alias iniustitias exercerent, suisque prauis moribus, verbo, & exemplo fideles inficerent, fœdissimum id regulariter esse, & illicitum docet Molin. de iust. tract. 2. disp. 102. in fine Bonacina de contract. disp. 2. q. vltim. sect. 1. punct. vlt. §. 2. nu. 6. post alios, & a fortiori omnium calculo receptum est id non licere in bello offensiuo, vt in effectu sentiunt præcitati, quale inferunt contra Lusitanos Bataui, quorum interest (pro dolor) illa in Orienti loca à Turcis potius, & Mauris, ac infidelibus, quam à Catholicis occupari, Alcoranũque Mahometis quã Christi euãgeliũ promulgari.

SVM-

SVMMARIVM.
Cap. XIV.

1 *Præscriptio Iuris ciuilis inuentum an locum obtineat inter supremos Principes?*
Præscriptione remota nullus Princeps securus esset in retinendis suis Principatibus.

2 *Præscriptio Iuris ciuilis inuentum apud Romanos cæpit a lege 12. Tabularum, sed & apud Athenienses, & alios fuit antiquior, & ab omnibus recepta est.*

3 *Iurisgentium reputatur, quod apud omnes obseruatur, licet postea fuerit inuentum, quod multipliciter ostenditur.*

4 *Emptio est Iurisgentium licet postea inuenta.*
Iusgentium incæpit cum genere humano.

5 *Iusgentium non hominum approbatio, sed ratio naturalis constituit.*
Consensus hominum vnanimis in re aliqua est coniectura; vt ea Iurisgentium putetur.

6 *Præscriptio immemorialis est alterum ius naturæ.*

7 *Imperia ex temporis diuturnitate confirmantur, & defenduntur.*

8 *Nauigatio priuatiua Lusitanorum ad Indos est conformis iuri humano, & diuino.*

9 *Publicæ res prohibentur præscribi à priuato non verò a Principe.*

10 *Priuatus præscribere non potest res publicas.*

11 *Publica tàm iure gentium, quàm ciuili possunt à populo contra populum præscribi.*

Pascua, piscationes, lignationes, & similia præscribuntur à populo contra populum.

12 *Publicæ res præscribuntur etiam cum violentia.*

13 *Resp. contra aliam præscribit loca, & iura publica etiam cum violentia.*

L. Sequitur. §. si viam. ff. de vsucap.

14 *Prohibitio vsucapionis in rebus publicis procedit respectu priuatorum.*

Leges vnius populi non ligant alios populos, nec extero Principes.

Publicarũ rerũ vsucapio prohibetur ex moribus ciuitatũ.

L. Vitim. ff. de vsucap.

15 *Maris, & littorum vsus publicus est iure gentium, sed potest fieri publicus vnius populi.*

Princeps prohibere potest exteros ingressu suarũ prouinciarũ

L. 3. Ne quid in loco publico.

16 *Lusitani etsi cũ violẽtia Indici maris nauigationẽ vsurpauerint, ex tẽporis diuturnitate ius illud præscripsere.*

17 *Quantum tempus requiratur ad præscribendum ius publicum, variant scribentes.*

Discontinua iura requirunt tempus immemoriale ad præscriptionem ex communi.

18 *Continui, & discontinui iuris distinctio reprobatur.*

Seruitutum continuarum, & discontinuarum discrimẽ exploditur.

19 Cap.

19 *Cap. 1. de præscriptionibus in 6. procedit in præscriptione non vero in consuetudine, quæ est lex non scripta.*

20 *Consuetudo, quæ est præscriptio regulatur vt præscriptio Seruitutes consuetudine adquiruntur, quæ habet vim legis.*

Bona fides nõ est necessaria incõsuetudine prout est lex; est tamen necessaria incõsuetudine prout est præscriptio.

21 *L. 1. §. vlt. l. 2. in princ. ff. de aqua pluuia.*

Lex sumitur pro pacto in contractibus.

22 *Molin., Mench. & omnes reprobantur legẽ in materia immemorialis præscriptionis pro lege cõmuni accipiẽtes.*

23 *Differentia inter præscriptionem, & consuetudinem, pro acquisitione.*

L. si quisquam. ff. de diu. & tem. de diuersis personis agit Titulum validum habens à Principe non indiget præscriptione in rebus publicis.

24 *Præscribens res publicas contra priuatum tempore tantum ordinario indiget.*

Longa possessio refertur ad decem, vel viginti annos.

25 *Lex Castellæ in via publica & similibus non admittit præscriptionem.*

Via publica, forum, & similia non præscribũtur.

26 *iter, via publica, & similia mutata forma præscribuntur tempore immemoriali.*

L. 7. tit. 29. par. 3.

27 *Suarij triplex error circa præscriptionem rerũ publicarũ.*

28 *Principis est assignare terminos, & loca publica.*

Lusi-

li, vt non admittatur probatio in contrarium.

38 *Mala fides probari potest indirecte contra præscriptionem immemorialem.*

Mala fides quibus modis probatur contra præscribentem.

Immemorialis non excluditur, licet contrarium constet ex historijs.

39 *Titulus Regis Lusitaniæ circa Indicam nauigationem constat, & defenditur multipliciter.*

40 *Immemorialis titulum non requirit, nec bonæ fidei quæstionem.*

41 *Præscriptio iurium negatiuorum incipit à tempore prohibitionis.*

42 *Iuris negatiui præscriptio procedit à prohibitione, quando principaliter de eo iure agitur, non vero si inconsequẽtiam.*

43 *Præscriptio iuris negatiui nocet non solum prohibitis, sed scientibus.*

44 *Consuetudo in præscriptionibus ligat omnes.*

Præscriptio iuris realis porrigitur ad omnes.

Seruitus, quæ personæ à re debetur, realis est.

45 *Consensus liber inducitur ex præscriptione immemoriali adeo, vt probatio in contrarium non admittatur.*

Prohibitio præsumitur ex immemoriali si necessaria est.

46 *Præscriptio immemorialis non procedit in mere negatiuis nisi de prohibitione constet.*

47 *Nauigatio Indica constat immemoriali, nec fundatur*

inu-

in iure negatiuo præscribendo, & incœpit, & progressa est cum aliorum prohibitione.

Castellani, Galli & alij prohibiti sunt a Lusitanis in Indiam nauigare.

Carolus Quintus animaduerti vult in Castellanos in Indiam Orientalem nauigantes.

Nauigantes in Indiam absque Lusitaniæ Regis beneplacito bonis, & vita spoliati.

Piratæ, & rebelles nullum ius adquirunt.

48 Bataui in Indiam non nauigarunt nisi postquã Philippus primus successit in Lusitania.

Rebellio & arma ius non dant ad aliorũ iura occupanda.

Turcarum Imperator in armis ius consistere asserit.

49 Accolæ maris Indici nauigando, & piscando an conseruauerint antiquam possessionem.

Dominium Principis non excluditur ex dominio particularium inferiorum.

Nauigat nemo in Indico mari absque Lusitanorũ beneplacito cum consensu omnium.

50 Incognitus maris quasi possessionem nauigationibus, & piscationibus agnoscit.

51 Præscriptibile est, quod est renunciabile.

Adquiri quod potest ex concessione expressa, potest ex tacita ac per consequens ex præscriptione.

52 Castrensis opinio retorquetur contra Incognitum, dũ vult non sufficere mille annos ad loca publica præscribenda.

53 Ædificans, nauigans, piscans in loco publico quasi possessione durante habet Dominium, & ius alios prohibendi.

Respon-

Reſponſio ad argumenta contra reſoluta capite præcedenti.

Cap. XIV.

1 SED iam ad argumentorum ſolutionem accedamus, quæ quidem magnum diſputationis campum pręſe offerunt ſed

Virg. 6.

Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit.

Et quamuis ex reſolutis in præcedentibus capitibus pateat reſponſio, attamen, vt ſcœnę inſeruiamus, magiſque veritas, & Luſitanorum iuſtitia elu ceſcat, illis ſatisfaciemus. Nõ obſtat primũ, quod ſic procedit, præſcriptio de iure ciuili fuit inuenta, ſed Principes ſupremi legibus ciuilibus ſuperiores ſunt l. Princeps. ff. de legibus, ergo præſcriptio inter eos locum habere non poteſt, ſed hæc argumentatio non tàm iuriſprudentię, quàm licentię nomen meretur, ſi pręſcript io Principes ſupremos, nec iuuare, nec tueri poſſet, & incerta eſſent Regnorum dominia contra Iuriſconſultum in l. 1. ff. de vſucapionibus, & nec Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Italię, nec etiam Batauiæ Principes tuti forent, quando quidem, vt ex annalibus conſtat, exteri victis, & ſubiectis habitatoribus, per vim, & arma

in rub.p.1. ca. 1.de rescind.Menchaca de success. progress.in præfact.ex numer.132. & Forcatulo dialog.37.ad finem.vltra quos probant in varijs speciebus Iurisconsulti,in condictione l. Rerum quidem vbi glos.fin.ff.de actione rer.amot. *iuregẽtium condici puto res ab his,qui non ex iusta causa possederit*,in acceptilatione in l. an inutilis. §. fin. vbi glos.ff.de acceptil.ibi:*Hoc iure vtimur, vt iurisgentiũ sit acceptilatio*,& in postliminio circa rerum recuperationem est elegans Pauli responsum in l.post liminium,ff.de captiuis,*postliminium est inter nos, ac liberos omnes populos, Regesque moribus, ac legibus constitutum.* vbi glos.verb.constitutum.

4 Sic emptio iurisgentium est l. Ex hoc iure. ff. de iust.l.1.ad fin.de contr.empt.Mẽch.de success. progressu in præf.n.171.licet postea inuenta fuerit d.l.1.iunctis traditis per Pine.1.par.rubr. cap. 1.n.2.C.de rescind.nec obstat quod iurisgentiũ cum genere humano incœpit l.1.ff. de adquiren. rerum domin.ergo quod postea inuentum fuit non potest ad jus gentium pertinere, cui difficul tati non satisfaciunt Pin.n.7.d.loco Cou.lib.1.c. 5.ad fin. Valasc.de iure emphy.q.3.n.2. Pich.a n. 19.in rubr.inst.de emptione, Ægidius d.l. ex hoc iure ca.8.à n.6.post alios quos citant,putãt enim bella,captiuitates,emptionẽ,& similia dici iurisgentiũ,non quidẽ tẽpore,sed approbatione,& cõ-

sensu hominum,quasi vnanimis consensus homi num in aliqua re iusgentium efficiat,licet illud in sui ratione cum genere humano non incœpisset; refellitur enim hęc explicatio,quia iusgẽtium est ius naturale hominis l. 1. §.ius naturale.ff.de iust. docet ex D.Thom.& alijs Couar.regul.peccatũ 2.part.§.11.à numer.4.illudque vnicum est licet tempore fuerit immutatum Valasc. de iure emphyt·quæstion.3.numer.5.Molin. libr.1.capit.2. numer.5.in fin.resoluimus cap.1.à nu.3. supra eo dem.

5 Et ita non approbatio aut vsus postea introdu ctus,sed origo,& ratio naturalis iusgentium cõstituit;nec pro illis facit text.in §.ius autem ciuile. Inst.de iure naturali,ibi:*Quod verò naturalis ratio inter omnes homines cõstituit,idque apud omnes peræque custoditur,vocaturque iusgentium,quasi quo iure omnes gẽtes vtantur*,quia intelligitur iusgentium nõ quia homines approbarunt,sed quia approbarunt ex ratione naturali,atque ita non approbatio ex post facto introducta, sed magis ipsa ratio naturalis hominũ mẽtibus indita iusgentiũ cõstituit,licet nõ vulgarẽ præstet coniecturã vnanimis hominũ consensus in aliqua re,vt ea iurisgẽtiũ putetur, vt ex Cicerone & alijs probat Forcatulus in necyomantia dialog.37.ad fin.*omni iure* (ait Tul.1.Tuscul.)*consensio hominum lex naturæ putanda est.*

Re-

Resoluendum ergo est iusgentium cum ipso genere humano cœpisse d.l.1.ratione quidem hominum mentibus indita,non vero actu,seuvsu.Illa enim iam initio generis humani hominibus nota esse poterant suppositiuè,si ratione,& discursu vterentur; defectus enim rerum non arguit defectum in ratione naturali,sed solum quoad vsum, & in hunc sensum explicandi sunt Iurisconsulti & audiendi præcitati doctores.

Interim cauēdū ab Ægidio,dum securè tradit non esse iurisgentiū illud,super quo prius aliqua ciuilis lex emanasset,licet postea ratione naturali communi hominum consensu sit receptum, cuius resolutio refellitur ex supra resolutis & in specie per Menchacam de succes.progressu in præfactione à n.132.& quæ Pinel.d.n.7.

6 Igitur præscriptio iurisgentiū reputatur cū ad rerū diuisionē pertineat quę de iuregentiū est l.ex hoc iure.ff.de iust. quod planè procedet,si fuerit immemorialis,quæ quasi alterū ius naturale reputatur,vt post Bald.& alios obseruat Mol.lib.2 c.2.n.21.immeritò ergo Mēch.Illust.c.51.n.28.& 36.& in nostra specie c.89.n.32.inter Principes supremos,& resp.liberas præscriptionē tollit,vt bellorū semina cōtra pacificos possessores ministret, & scrupulos quietis inijciat cōsciētijs in maximā reip.Christianę & orbis perniciem,& detrimētū,

7 Cum receptissima sit doctorũm sentẽtia iuri etiã diuino cõformis ex tẽporis diuturnitate Regna,& Imperia per vim occupata firma manere, ac perconsequẽs etiã cõtra alios ex vi possessionis & præscriptionis defendi posse,vt cũ Bellar. Mol. Salas,& aliis deduximus supra cap. 12. in fin.

8 Ad secundũ dũ asserit non valere ius positiuũ humanũ contra iuris diuini,aut naturalis resistẽtiam,respõdetur supponere,quod probare tenebatur,quod Incognito peculiare est, cũ maximũ in disputãdo sit vitiũ,scilicet in nostra specie dari iuris diuini,&naturalis resistentiã;nos vero cõtrariũ ostẽdimus per totã hanc disceptationẽ.Nã secundũ iuris ciuilis principia rerũ publicarũ adquisitio,possessio, & distributio pertinent ad Principẽ,vt constat ex exemplis de quibus c.11.à n. 29. imò iuri diuino conforme est, vt Põt. Roma.mittat in orbis Prouincias Euãgelicos legatos, quos elegerit,idoneoresq; reputauerit,& seclusa legatione posse Principẽ supremũ præoccupare maris protectionẽ,iurisdictionẽ.& Imperiũ, iusq; hoc cõtra alios Principes præscribere,quod repetẽdũ nõ erit,ne in battalogiæ vitiũ incurramus,inquod tamẽ sæpe incidimus propter importunã Incogniti repetitionẽ cũ c.5.de occupatione maris, & rerũ publicarũ agat,& c.7.de præsc,quæ illã prærequirit,& multa,quę illic cõgessit hic repetẽda sũt

Ter-

9 Tertio principali argumento dùm intẽdit res extra commercium pręſcribi non poſſe, vt docet Caius l. Vuſucapionem. 9. de vſu. res uero publicas eſſe extra cõmerciũ ex eodẽ Caio, & Paulo l. Si in emptione. §. omnium de cõtr. emp. inter quas enumeratur mare à Iuſtiniano. §. 1. de rer. diuiſ. facilè reſpondetur res publicas, hoc eſt populi Romani, de quibus agit Caius, per legem populi Romani pręſcribi prohiberi, & ideo Paulus d. §. omnium vbi proximè, à venditione excepit res, quas natura, gentium ius, & mores ciuitatis à commercio exemit, ad ciuitatis mores referẽdo publicas, hóc eſt populi Romani, vt declarauit Caius d. loco, ibi: *Exceptis rebus ſacris, ſanctis, publicis populi Romani, & ciuitatum.*

10 Hinc primo fit ſtante legis prohibitione non poſſe eas res à priuato præſcribi iuxta reg. Pomponij l. vbi lex 24. de vſucap. iũctis traditis poſt alios per Hoſtienſem in ſumma tit. de præſcrip. n. 5. Balbum de pręſc. 1. p. ſextæ à n. 9. Conanum lib. 3. ca. 15. & paſsim alios.

11 Secũdò infertur publica tàm iure gentiũ, quàm iure ciuili quoad vſum omnium, quæ pręſcribi nõ poſſunt ab aliquo priuato, ita vt publica eſſe deſinant, & priuati efficiantur; at vero dum publica manent quoad vſum populi vnius, præſcribi poſſe contra alium populum, qui ante præſ

 criptio-

criptionem similiter vsum habebat, prout post Petrum Iacobum in pract. tit. de seruitu. pecoris, & Gregorium per tex. in l. 7. tit, 29. par. 3. Castellæ, resoluit eleganter Auendanus libr. 1. de exeq. cap. 16. à num. 9. contra Suarium cons. de vsu maris seu alleg. 15. quod ad praxim vtile est circa pascua, piscationes, lignationes, & similia, vt præcitati obseruant, & hoc iure vtimur.

12 Quod ampliatur vt in hac specie licet ab initio interueniat aliqua violentia, introduci tamẽ possit hæc præscriptio, vt ex doctrina Bart. l. 1. §. in operis num. 2. ff. de noui operis tradunt Casaneus Consuburg. rubric. 13. §. 5. glos. 3. num. 5, & Auend. lib. 1. de exeq. c. 12. num. 10.

13 Tertio infertur posse vnam rem publicam cõtra aliam præscribere loca & iura publica de iure gentium, dum tamen maneant publica quoad vsum populi, seu prouinciæ, cui præest respublica, princeps ve præscribens, licet ab initio iniuste alium ab illo vsu expulerit iuxta prędicta: amittet namque expulsus ius illud quo non vtitur argumento text. in l. sequitur. §. si viam. ff. de vsucap. vbi Bart. & Cuiat. Conan. lib. 4. cap. 12. num. 12. Pad. à num. 42. in l. 1. C. de seruit. *si viam habeam, ait Paulus, per tuum fundum & tu me ab ea vi expuleris, per longum tempus non vtendo amittam viam*, vt resoluimus num. 12.

Et in

14 Et in his terminis cessat legis prohibitio l. Vsucapione. ff. de vsucap. quæ tãtum locum habet cõtra priuatos inferiores, nec supremum Principem ligat, cum de iure sit supra ius cap. proposuit de cõcess. præb. & procedit opinio Menchacæ Illust. ca. 51. nu. 28. cum seqq. dum habet quòd leges vnius populi, seu Prouinciæ subditos alterius, seu Principes alienos non comprehendunt, ac proinde ad argumentum responderi potest maris vsum de iuregentium omnibus publicum, posse tamen ex parte fieri publicum vnius populi in alterius exclusionem, prout supra resoluimus & ita leges, l. Vlt. de vsucap. l. Præscriptio. C. de operibus publicis, quæ vsucapionem prohibẽt in rebus publicis, procedunt & vim habent ex ciuitatis moribus; prout loquitur Paulus l. Si in emptione. §. omnium de contrah. empt. cui subtiliter alludit Papinianus l. Vlt. de vsucap. ibi: *Præscriptio longæ possessionis ad obtinenda loca iurisgentium publica concedi non solet*, vbi ad mores, & consuetudinem se refert, non ad naturæ prohibitionem.

15 Quartò infertur quod licet maris, & per hoc littorum vsus iuregentium publicus sit. §. 1. Inst. de rer. diuis. attamen si populus Romanus Imperium in illa habeat, prout admittit Celsus l. 3. ne quid in loco publico: tunc proculdubio desinet esse iurisgẽtium publicus, & incipit esse publicus

ijs omnibus,qui sunt in orbe Romano,& quibus populus Romanus littoribus illis,vt suis vti cõcedit,& eodem modo de mari,& littoribus dicẽdũ erit;cũ vtraque eiusdẽ sint cõditionis, hoc est publica l.pen.ff. de rer.diu.atque ita eleganter docet Donel.lib.4.cap.2.vers.habentur,& antea Carolus Ruyn.cons.28.n.16.vol.1.post Bald.in c.1.§. dominus n.2.de forma fidelitatis,inde inferentes posse dominum terrarum sine causa interdicere ingressum in suas terras, & littora mercatoribus exteris,vt notauimus cap.1.supra eod.

16 Ex quibus deducitur Lusitanos etsi cum aliqua violentia maris Indici nauigationẽ vsurpauerint, quod tamen non dabis,attamen ex temporis diuturnitate ius illud præscribere potuisse.

17 Non obstat quartum,quod loca publica non admittunt præscriptionem ex Vlp.respõso.l.Vlt. de vsuc nisi durante occupatione,vt decidit Marcian.l.Si quisquam de diuer.& tempor.quæ in mari dari non potest;sed huic argumento satis respõdimus in argumenti præcedentis solutione, & latius supra capit.11.ad 5.quibus locis contra Incognitum probatum est occupationem, & per consequens prescriptionem piscandi , & nauigandi in locis publicis priuatiue dari posse : quantum autem tempus ad hoc ius adquirendum requiratur variant scribentes, Castrensis , Balbus,& Suarius

nu-

nullum requirunt tempus,sed præoccupationem tantum quod cap.13.numer.30.reiecimus : nouè vero Donellus libr.5.capit.22.duos admittit annos,quia pluralis locutio duorum numero contenta est regul.pluralis in 6. quod tamen durum & meritò reputat ibidem Osuald.littera. C.Ego noto ex materia subiecta, hoc est præscriptione, interpretationem Donelli Iurisconsultis refragari : nam Vlpianus d. l. fin. de vsucapion. eisdem verbis vtitur,quæ correspondent longæ possessioni,cuius antea mentionem fecerat ; longa autem possessio in iure nostro duobus annis non circunscribitur iuxta titul.C.de præscription.longi temporis, Accursius verò d.l.Si quisquam sentit triginta annos requiri sequitur Cæpola de ser. rusticor.cap.4.nume. 59. sed præscriptio triginta annorum incognita fuit Iurisconsultis ex glossa verbo, amiserit l.Qui occidit 30.ff.ad leg. Aquil. communiter approbata ex Mench. succes. creat. §.10.numer.16.ad finem.Vndè Carolus Ruynus cons.28.num.14.vol.1.contendit tempus immemoriale requiri;ducitur primo quia ius piscandi est discontinuũ,& ad adquirẽdũ ius indiscõtinuis requiritur tẽpus immemoriale ex glos.in l. Seruitutes 14.de ser.recepta ex Gom.2.c.17.n.27.Mol. de iust.tract.2.dis.70.vers.posterior & approbata à cõpilatoribus legum partitæ l.15.tit. 31.p.3.itẽ

 quia

quia huic præſcribenti obſtat ius commune iuxta reg.l.Altius, C.de ſeruitut.ergo requiritur titulus, vel præſcriptio immemorialis ex deciſione Bonifacij VIII.cap.1.de præſcrip.in 6.

18 Sed hæc Ruyni fundamenta tuta non videntur. Diſtinctio enim illa intercontinua,& diſcontinua iura Iuriſconſultis Incognita eſt,& à Doctoribus reiecta ex Longouallo in l.Imperium num. 241.& 250.ff. de iuriſdict.omnium, quem poſteriores ſunt ſequuti, vt conſtat ex Donello lib. 11. cap.11.& 12.& Oſuald.ibidem, Fabro lib. 19. coniect.cap.10.& 11.Schiford.ad Fabr.lib.1. tract. 5.per ſeptem quæſtiones poſt alios, quos citant, nec docẽdi gratia diſtinctio illa ſubſtineri poteſt, vt vult Morla in emporio iuris tit.6.de ſeruit.nu. 48.communis namque antiquorum diuerſum tẽpus ad vtriuſque ſeruitutis præſcriptionem requirebat, quod falſum eſt,& alienum à docendi gratia; nec obſtat textus in l.3.§.ductus aquæ.ff.de aqua æſtiua, eleganter enim reſpondent Faber libr. 19.coniect.cap.12.Schifordeg.d.tract.5.q.1. Donellus vbi Oſuald.vbi proximè text.illum nõ negare ſeruitutem aquę ductus acquiri decennio, ut aperte ſcriptum eſt in l.ſi quis diuturno.ff.ſi ſeruit.vendicetur l.2. C.de ſeruit. ſed illud tantum decidere, ductũ aquæ, cuius origo memoriam exceſſerit, iure conſtituti loco haberi, quod eſt longè

ge diuersum,& hęc fuit sententia Longoualli in l. Imperium num.283.ff.de iurisd.omnium,Corra. l.seruitutes 14.num.21.ff.de seruit.& ante omnes idem sentit Bart.in l.De quibus num. 14. ff.de legibus,& in l. cum de inrem verso n. 2. ff. de vsur. vnde corruunt cõmentitiæ interpretationes ad d. §.ductus;de quibus per Balb.de pręscrip.2.par.4. princip.q.4.post princip.Couar.1.variar.cap.17. num.11. Cæpola de seruit.1.par.cap.19.num.4 & 2.par.ca.4.nu.55.& 59.post alios.

19 Secunda verò ratio firma etiam mihi non videtur,quia decisio Bonifacij in præscriptione, non verò in consuetudine locum habet vt obseruant ibidem Archid.Domi. oppos.2.num.6. Francus & alij,Florianus in l.Seruitutes ad fin.ff.de seruit. Alex.cons.124.num.3.volum.4.& Decius in rubric.de consuetudin.num.2.alias num.13.& cõs.134.num.4.communis vt per Mench. Illust. ca. 83.num.30.Molin.lib.2.cap.6.num.55. nos autem versamur in consuetudine.

Sed horum sententia vera est in propria, & vera consuetudine,quæ est lex non scripta cap. consuetudo dist.1.§.sine scripto Instit. de iure natur. consuetudo verò,de qua agimus,non est lex, sed vsus,& assue factio cuiusque iuxta l. Si seruus 53. §.fin.ff.de leg.1.ibi:*Ipsius patris fam.consuetudo*,vndè in hac nostra consuetudine,quæ vera & propria

est

est præscriptio,procedit reg.d.cap.1.aduertit Mẽcha.Illust,c.87.n.4.

20 Sicut & procedit in seruitutum præscriptione, quę consuetudine adquiri dicitur,quæ habet vim legis l.1.§.fin.ibi:*Vetustatem vicem legis tenere*,& ibi *habuisse longa consuetudine*.ff.de aqua pluu. vt resoluunt bonam fidem requirentes Padil.num.28.in l,1.vbi omnes.C.de seruit.communis ex Balbo 2. quartæ q.1.num.9,Aym,de antiq.4.p.in princip. num.19.quæ bona fides in vera consuetudine necessaria non est ex communi, de qua per Molin, lib.2.c.6.n.16,

Sic procedit textus in cap.cum dilectus de cõsuetudine,vbi obseruat Abb.ad fin. idem Abb.n, 20.in cap.vlt.de consuetud.& num,45. in cap. cũ Ecclesia de causa possess.sic textus in cap.3,eod.in 6.ex Ioan. Andr.ibidem,& Abb,dictis locis , sic d,cap,cum Eccles.cap.super quibusdam.§.præterea de verb.cum alijs,vt per Abbatem d. locis.

Nec obstat text.in d.l.1.§.vlt.in illis verbis,*vetustatem vicem legis habere*,& l.2.in princip.ibi : *Vetustas,quæ semper pro lege habetur*. ff. de aqua pluuia, quidquid non aduertat Faber lib,19,coniect.cap, 11,nec alij,lex in illis locis non accipitur pro lege communi,sed pro pacto,& conuentione , vt cõstat ex contextu vtriusque legis nam in d.§.vlt. sic differit Vlpianus ex Labeone,*denique ait conditionibus*

bus agrorum quaſdam leges eſſe dictas, & ibi , *ſi tamen lex non ſit agro dicta, agri naturam eſſe ſeruandam*, & ibi, *ſi tamen lex agri non inueniatur, vetuſtatem vicem legis tenere*, Paulus in lege 3. ibi: *Tria ſunt per quæ inferior locus ſuperiori ſeruit, lex, natura loci, vetuſtas, quæ ſemper pro lege habetur*, vtrobique gloſſa, verbo, lex, ſic pro pacto accipitur in contractibus regu. *contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda, & reg. contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur*, lib. 6. l. qui fundum 40. in pr. ff. de contrah. empt. l. Venditor, ibi: *Priuata lege*. ff. communia prædiorum cum alijs.

22 Hinc cauendum eſt à Menchac. Illuſt. cap. 89. num. 38. Molin. lib. 2. cap. 6. num. 13. & 14. Gabr. libr. communium tit. de præſcription. concl. 1. n. 65. poſt plures, quos citat: dum legem in d. l. 1. & 2. ff. de aqua pluuia pro lege communi accipiunt, & hic fuit præcipuus errandi in noſtra materia ſcopulus Menchacæ, & Incognito: dum ex legis natura multa contra hunc vſum, ſeu conſuetudinem inferebant, conuincitur etiam idem Molina dum intelligit l. 3. §. ductus aquæ. ff. de aqua quotidiana, in illis verbis, *iure conſtituti*, pro conſtitutione, ſeu priuilegio Principis, cum potius pro conſtitutione, ſeu conceſsione priuati ſint accipiẽda iuxta prædicta, & materiã ſubiectã circa ſeruitutẽ in rebus priuatis, nec etiam probo diffe-

differentias,quas ex alijs in hac materia refert idẽ Molin,d.cap.6.n.10.procedunt namque eę differentię inter propriam consuetudinẽ,& præscriptionem.

Et ideò in ea specie locum habere nõ possunt, vera igitur differentia inter consuetudinem, seu vsum,de quo agimus,& præscriptionem pendet ex tituli,aut patientiæ qualitate,vt eleganter docet Donellus lib.11.cap.12.Faber lib.19.coniect.cap. 10.seu ex vsu non violento,non clandestino,non precario l.1.§.fin.ff.de aqua pluuia cum aliis; etiã si detur ignorantia domini ex Cuiat. ad leg. si is qui pro emptore.§.vlt.ff.de vsucap.& Osuald. ad Donel.d.cap.12.lit.B.nec obstat tex.in l.2.ibi:*Eo sciente.*C.de seruit. quia procedit ex facti hypothesi,vt ex Petr.Bufio aduertit Osuald.vbi proxime:si ego concurrat titulus,præscriptio procedet si deficiat ille,locus erit adquisitioni ex consuetudine,seu vsu nomine proprio.

23 Ego noto(vt ad quæstionem vertamur)in Marciani hypothesi agi de prohibiti, & prohibentis personis:prohibito,seu auctori si ius ex priuilegio seu titulo valido habebat,non erat necessaria præscriptio ex text.in cap. superquibusdam. §. pręterea,ibi:*Imperatorum,aut Regum,aut Lateranensis concilij largitione concessa*,notat Menchaca Illust. ca. 83. n.22.in fin.si titulus erat inualidus, aut non præcesserat,

cesserat, tunc pręscriptio necessaria erat, prout resoluimus cap. 10. ad 5. & in hoc casu procedit Caroli Ruyni sententia, de qua supra.

24 Per contrarium vero præscribens piscationis ius contra priuatum, de quo quæstio erat, decem, vel viginti annis respectiuè contra pręsentem, vel absentem indigebat, & huc spectant verba illa, *pluribus annis piscatus sit*, quibus vtitur Marcianus vbi supra, quibus conuenit illud Pomponij eisdē verbis vtentis in l. vlt. de vsucap. ibi: *Longæ possessionis*, & ibi, *pluribus annis piscatus*, quæ verba, *longæ possessionis*, ad decem, vel viginti annos referri solent iuxta l. Si cum fideicōmissum. §. Aristo. ff. qui & à quibus manumitti l. Vnica. C. de vsucap. transformanda l. Super. C. de præscript. longi temporis, aduertit aliàs Donel. lib. 11. cap. 11. & ita in effectu sentit Cœpola, & abeo relati de seruit. rusticorum c. 4. num. 59. licet circa temporis requisitū decipiantur.

25 Non obstat quintū deductum ex legibus Hispaniæ l. 7. tit. 29. part. 3. quæ in rebus publicis omnem reijciunt præscriptionem, quibus controuersiam decidi postulant Bataui in præfactione: quibus tamen dupliciter respondetur, primò agere de via publica, foro, & similibus, ibi: *Plaça, nin calle nin camino, nin defesa, ni exido, nin otro lugar qualquiera semejante desto, que sea en vso comunalmente del pueblo*

de

de alguna ciudad, ò villa, ò castillo, ò de otro lugar, no lo puede ningun ome ganar por tiempo, quæ desumitur ex Iauoleni responso l.2. de via publica, & alijs relatis per Gregorium glos.1. in d. l. 7. quæ quandiu sic permanent, implicat contradictionem, vt sint priuata, & ideo nec centum annis ex glos. d. l. 2. de via publica, imò nec immemoriali præscriptione acquiretur ex veriori, de qua per Grego. vbi proxime & Auend. lib. 1. de exeq. c. 12. num. 6. vers. tamen ista.

26 Secundò respondetur mutata forma & figura viæ publicæ eius proprietas adquiretur saltem tempore immemoriali in vim tituli iuxta decisionem Cæsarum l. Vsum. C. de aquæ ductu libr. 12. vbi obseruant Platea num. 3. Aym. de antiq. 4. p. cap. materia num. 79. Greg. l. 7. tit. 29. p. 3. glo. 1. limit. 2. Auend. lib. 1. de exeq. c. 12. nume. 6. cum seq. Menoch. casu 44. num. 11. nec obstat lex Regia; nam loquitur in sola præscriptione, ac proinde licet tunc sint in præscriptibilia, attamen virtute præsumpti priuilegij, aut concessionis sunt talia bona adquisibilia, vt argumentantur Ripa l. Quominus num. 41. & 102. ff. de flumin. Auendaños libr. 1. de exequend. cap. 12. n. 7.

27 Vndè cauendum est à Suario qui cons. 1. de vsu maris num. 4. seu alleg. 17. nu. 5. tripliciter errat primo quatenus intelligit legem partitæ in omnibus

bus rebus publicis cùm illa restrictiuè loquatur, in *plaça, calle, ò otro lugar semejante desto*; secundò dum nec immemorialem præscriptionem in vim tituli admittit, cum tamen contrarium ex eadem lege eliciatur; tertio dum vult prædictam legem procedere etiam in Principe supremo, cũ tamen contrarium ex eadem deducant Gregorius & Auend. l. locis, dum admittunt Principis priuilegium.

28 Cuius proprium est assignare terminos, & loca publica intra suum Regnum, vt decidit lex Partitę l. 2. titul. 1. part. 2. resoluunt Calcaneus cons. 89. & Auendan. libr. 1. de exequend. ca. 12. num. 3. Ex eodem capite illa, quę erāt publica potest efficere priuata mutando terminos, & limites, ac perconsequens lex illa septima prò nobis stat, qua si lis decidenda foret, prout implorant Batavi in præfatione, victoriæ palmam Lusitani proculdubio obtinerent.

29 Sextum aptius sic proponi potest: cuilibet in mari, vel flumine publico nauigare l. 1. in princip. de flumin. l. Vnica in principio, vt in flumine publico nauigare liceat, & piscari l. Nemo. l. In mari de rer. diuis. de iuregentium competit, & hæc licentia dicitur competere per modum facultatis l. 2. §. si quis in mari, ne quid in loco publ. l. Iniuriarũ. §. si quis me, de iniur. queadmodũ & ire per

X viam

viam publicam quædam facultas est l.2.de via publica, sed qui vtitur iure communi sibi competenti, eo iure vti censetur, ac perconsequens ex tali obseruantia non inducitur præscriptio, aut consuetudo ex Dominic.capitul.1. de rescriptis in sexto,& in specie Carolo Ruyno consil. 28. à numer.9.versic.sed his volumin.1.& ratio ratio nis est, quia sine possessione nulla currit præscriptio l.Sine possessione de vsucapion.& regul. sine possessione in 6. hic autem non datur possessio diuersa à iuris communis facultate, igitur præscriptio dari non potest.

30 Sed facilè argumentum soluitur, primò quia facultas illa liberè vtendi nauigatione,&piscatione, cuilibet competens per Principis rescriptum & priuilegium alterari,& mutari potest, vt deduximus supra c.10. & in specie obseruat Ruynus conf.28.n.1.&.2.lib.1.quęstio vero nostra agit de supremo Principe.

31 Secundò, quia argumentum procedit quoties simpliciter facultas illa exercetur, si autem animus posśidendi concurrat, tunc proculdubio præscriptio saltem immemorialis locum habebit vt eleganter probat post alios Carolus Ruynus conf.28.à nu.10.volum.1. qui testis omni exceptione maior est, cum contra pręscriptionem piscādi & nauigandi consulat: idque sentit Incognitus illis

illis verbis, *qui vtitur iure communi sibi competenti, eo iure vti censetur*, nota verbum illud, *censetur*, hoc est præsumitur in dubio.

32 Quasi vero possessio seu animus possidendi iure proprio quoad propositum tripliceт probari potest, vel ex prohibitione iuxta decisionem Cæsaream l. 2. C. de seruit. resoluit Baldus l. Item lapilli q. 3. ff. de rer. diuis. receptus ex Ruyno cons. 28. numer. 12. libr. 1. vel aperta declaratione, dum quis declarat se illud facere iure proprio iuxt. reg. Iurisconsulti in leg. Paulus. ff. rem ratam haberi, vel ex titulo à superiore habito ex eod. Carolo Ruyno d. loco.

33 Sed in nostra nauigatione omnia concurrunt, nam & Lusitani factis, & armis alios ab ea nauigatione prohibuere, vt constat ex responsione ad octauum, & Rex Lusitaniæ vsus est ea declaratiõne dum se dominum nauigationis, & commercij Æthiopiæ, Arabiæ, Persiæ, & Indiæ appellauit à tempore Emmanuelis, vt notauit in proposito Rebellus de iustit. part. 2. lib. 18. quæst. 23. in principit. Ægidius l. Ex hoc iure capit. 3. numer. 22. ad fin. ff. de iustit. qui titulus omnibus Principibus, populisque liberis orbis Christiani notus fuit, & per omnes omnium Prouinciarum Historiographos scriptis traditus, ita vt nullus Princeps orbis Christiani ignorantiã huius decla

 ratio-

rationis causari possit, ac perconsequens succedunt tradita per Doctores ad prædictam Cæsaris decisionem: hoc enim generale proclama cõstituit Regem in quasi possessione, præscribentem tuetur, præiudicat omnibus scientibus, & non reclamantibus ex traditis per Iacobinum de feudis verbo, & cum venationibus nu. 2. Decium conf. 197 Menoch. casu 160. numer. 11. Marcum decis. 529. num. 16. p. 1. post alios: titulo tandem nõ caret Rex Lusitaniæ, de quo satis diximus supra cap. 7. & 8. Cum ergo vnumquodque per se sufficiat, à fortiori omnibus concurrentibus Rex noster tutissimus erit.

34 Non obstat septimum, nullam præscriptionẽ etiam immemorialem admitti posse cum mala fide, quod decidunt Pontifices capit. vigilanti, ibi: *Nulla antiqua*, ca. vlt. ibi, *nulla*, de præscr. reg. possess. ibi: *Vllo tempore*, in 6. probant vltra ordinarios Couarruu. reg. poss. 2. part. §. 8. numer. 4. Valasc. de iure emphyt. quæst. 8. numer. 25. Gabriel titul. de præscript. conclus. 1. numer. 55. vers. contrariã Molina lib. 2. cap. 6. numer. 67. sed claudicat Incognitus, vt assolet, in supposito, dum in Regibus Lusitaniæ malam fidem admittit, quod tamen negatur, tum quia non probat Incognitus assumptum: tùm etiam quia bona fides præsumitur ex glos. communi in capit. si diligenti capit. vltim.

vltim.de prescript. Couar.reg.possess.2.p.§.8.nu. 2.& tandem quia Reges Lusitaniæ fundant se in Apostolicis titulis, in receptis doctorum sententijs.

35 Quæ causæ licet non forent veræ (vt aparte rei sunt) sufficiunt ad effectum, vt ex illis bona fides inducatur argumento textus in l. igitur ff.de liber.causa, ibi: *Iustis rationibus ductus, vel non iustis*, & ibi, *possessoris commodo fruatur*, notauit Bart. n.13.in l Celsus.ff.de vsucap.receptus ex Menochio rem.15. recuperand.n.34.& Mascard.cõcl. 224.num.17.

36 Adeò vt licet contra Infantem Henriquum, qui primus priuilegium à sede Apostolica ab hinc plus ducẽtis annis impetrauit, vt supra probauimus; imò & contra Ioannem Secundum, qui ab Alexandro Sexto idem adeptus est à plusquam centum annis, mala fides præsumeretur, sufficerent tamẽ triginta anni, tàm in ipsis, quàm in successoribus ad eam purgandam, & præsumẽdam bonam ex doctrina Bart. in l. Vltim. Cod. vnde vi, recepta ex Couar.regul.possessor 2. par. §.8.numer.3.Burgos conf.15.numer.33.& extra controuersiam in successoribus ex Mascard. conclus.225.n.12.

37 Accedit quia in nostra specie datur præscriptio immemorialis vt supra probatum est, quæ ope-

part. quartæ q. 29. num. 8. & Grammatico decis. 102. ex num. 31. vel alijs modis iuxta l. penult. C. de euiction. glossam, verbo, bonam in cap. Si diligenti de præscript. Gam. decis. 290. nume. 2. Menoch. casu 225. Mascardum conclus. 230. nu. 3. & conclus. 753. num. 16. & 30. & Farinacium q. 47. num. 126. Garciam de nobilit. glos. 12. à nu. 68. qui ad quatuor modos disputationem refert, illud notandum immemorialem non excludi etsi ex historijs antiquis contrarium constet, si vtrũque compatibile est, vt optime declarat Mol. lib. 2. cap. 6. n. 63. & Greg. glos. que puedan l. 15. tit. 31. p. 3.

39 At in nostra specie constat de titulo per famã per registrum per historiographos, & scribentes, illumque iustissimum defendunt omnes, & idem Incognitus dum in Pontifice Romano agnoscit ex alijs iurisdictionem in temporalibus in ordine ad bonum spirituale, quale in hoc titulo reperitur, vt ostendimus supra c. 7. & 8.

40 Preterea ex omnium calculo (etiam semoto Pontificio diplomate) immemorialis prescriptio in rebus publicis locum habet vt supra deductũ est, igitur nec de titulo, nec de bona fide quæstio in hac specie locum habebit, cum in præscriptione immemoriali ea questio cesset iuxta prædicta.

41 Non obstat octauum scilicet ad præscribendum

dum ius nauigationis,piscationis, & similium requiri prohibitionem contra alios,ita vt præscriptio incipiat à tempore prohibitionis,nec sufficiat contra aliquos(quia contra hos prohibitos tantum præscriptum erit) sed contra omnes,quibus præiudicium inferri prætēditur ex doctrina glossæ verbo,formam in l. Qui luminibus. ff. de seruitut. vrbanorum & verb. Alciaten. in cap. Abbate de verborum recepta ex Balbo de præscription.4. part.quintæ,quęstion.5. Couar.regul.possessor 2.par.§.4. num.6. & Padilla à numer. 14. post glos.1.in l. 1. C. de seruitut. dum docent in seruitutibus negatiuis incipere præscriptionem à tempore prohibitionis,& in nostra specie difficultati sucumbentes sentiunt, & requirunt Faber numer.2.§.flumina,Institut.de rerum diuisione, Ruynus consil.28. numer. 11. libr.1. Aymon de antiquit.4.part. cap. materia numer. 81. Rolandus cons.5.num.68.volum. 1.Boerius decis.125. num.5.& Molin.de iustit.tract.2. disp. 70. vers. quod idem.

42 Respondetur tamen primò sententiam dictarum glossarum procedere vbi principaliter agitur de possessione,& pręscriptione iuris negatiui, cuiusmodi est seruitus altius non tollendi, non officiendi luminibus ; at vero si principaliter agatur de iure affirmatiuo piscandi , nauigan-

uigandi,lignandi,pascendi,& similium, in cuius consequentiam sequitur negatiuum scilicet, ne alter eodem iure vtatur;nec possessio, nec praescriptio incipit à prohibitione,sed à facto, in quo possessio,vel quasi possessio consistit:alioquin dicendum foret in iure decimandi, iurisdictione,& in omnibus rebus,& iuribus affirmatiuis possessionem,& praescriptionem non incipere nisi à tẽpore,quo alter prohibetur,quia in his omnibus affirmatiuis inconsequentiam agitur de iure negatiuo,quo possessor,vel praescribens alium prohibet;accedit reg.accessorium in 6.& quod prior causa sit inspicienda l. 1.ff.de authorit.tut. resoluit *Æ*gidius l.Ex hoc iure cap.3.numer. 31. ff.de iust.

43 Secundò respondetur pręscriptionem iuris negatiui non tantum nocere prohibitis,sed & omnibus,ad quos notitia prohibitionis peruenit, vt resoluit Aymon de antiquitat.4.part.capit. materia numer. 86. qui inter alia illam elegantem reddit rationẽ,quod aliàs nec possessio,nec pręscriptio in similibus vnquam adquiri posset, cui fauent ea,quae circa proclama generale resoluimus supra n.33.

44 Ego noto in nostra specie agi propriùs de cõsuetudine quàm de praescriptione, vt supra deduximus;consuetudo vniuersos ligat. l. De qui-

 bus.

bus.ff.de legibus docuit Bart. not.2. in l. Si quis diuturno.ff.si seruit.vendicetur receptus ex Molina lib.2.cap.6.ex num.16.& 55.sed hæc doctrina suspecta mihi est,quia vt iam supra num.19.cõtra receptam doctorum sententiam aduertimus, hic non agimus de cõsuetudine propria, in qua procedit reg.d.l.de quibus:verius ergo est præscriptionem iuris realis porrigi ad omnes; ius namque hoc reale est,quia hæc seruitus,seu adquisitio debetur personæ à mari,vel flumine,& similibus ex doctrina Bart.in l.iusto.§.mutat.n.3.ff.de vsucap.recepta,ex Cou.lib.1.variar.cap.17.nu.10.& Mench.Illust.c.83.n.26.

45 Tertio respõdetur,quod ex præscriptione immemoriali inducitur consensus liber eorum,contra quos præscriptum est,adeo vt probatio in contrarium non admittatur, quod consentierũt, vel consentire desierunt per metum,aliudve impedimentum,vt per Ioannem Andreã, & alios, quos referunt,& sequuntur,resoluunt Burgos de Paze cons.15.num 34.Couar.reg possessor 2.p.§.4.n. 5.vers.2.Pelaez de maioratibus 4 par.q.20.num. 55.Ioan.Garc.de expens.cap.9.num.23.& in specie nostra tradunt Ias.l.Quominus num.96.ff.de flum.Afflict.in const lib.1.rubr.85.§. 2.nume.1, Decius cons.270.aliàs 271.num.14.& 15. Aym. cons.111.num.25.quod indubitatum erit sicum

præs-

præscriptione concurrant aliquot prohibitiones in ipsius temporis tractu contingentes; quo casu præsumendum est præscriptionem cum prohibitionibus incœpisse argumento tex.in l. ex persona.C.de probat.l.Quicumque.C.de apochis lib. 10.docet eleganter Couar.reg.possess.2.p.§.4.n. 6.vers.posterior ad finem.

46 Et ita cōciliari potest altera opinio eorū, qui defendunt in mere negatiuis non sufficere immemorialem; nisi de prohibitione constet, vt volūt Cæpola de seruit. vrban.cap.50. num. 2. Casan. consuet.Burg.rubr.13.§.2.num.15.Ripa respon. 194.ad finem,& num.68.in cap.cum Ecclesia de caus.possess.& Ruyn.cons.28.ex num.11.lib.1.nā si constet de aliquibus prohibitionibus, præsumptio erit pro immemoriali.

47 In nostris vero terminis interuenit præscriptio immemorialis,vt supra probatum est,non agitur principaliter de præscribendo iure negatiuo, item constat ex annalibus Lusitanos illam quasi nauigandi possessionem adquisiuisse ex aliorum prohibitione,tùm ab initio,tùm in temporis discursu:de Castellanis Malucas petentibus patet, qui ab ea pretensione prohibiti acquieuere,qui & Angli, & Galli clandestinè, & contra suorum Principum voluntatem nauigationem illam, & commercium interturbabant, vt de Castellanis signi-

significauit Imperator Carolus Ioanni III·Lusitaniæ Regi,& in eos tanquam in rebelles,& piratas animaduertendum postulabat Lucena in vita Xauerij lib.4.cap.2.& de omnibus nostri supplicium sumebant,eos vita,vel bonis spoliando, & nusquam illorum Reges de ea prohibitione, & spolio querellam instituere;nec similes pacis cõmunis violatores, & piratæ ius aliquod in suorũ Principum gratiam,quos offendebant conserua re potuere,ex tit.quod vi aut clam,resoluit Menchaca Illust.c.89.num.38.ante fin.

48 Idem quoque de Batauis est dicendum, licet enim ex occasione rebellionis cõtra suum Principem naturalem,nostrum nauigationis Indicę,& commercij ius infestauerint, non tamen id sunt ausi regnantibus Emmanuele,Ioanne III. Sebastiano,& Henrico,cum quibus illi, sicut & cęteri Christiani orbis Principes inuiolatam pacem seruarunt,sed postquã Philippus I. Lusitaniæ Regni possessionem cepit, quod contigit anno à partu virginis 1580.Duard. Nonius in genealogia Regni Lusitaniæ sub Philippo I.Herrera hist.vniuers.2.tom.lib.10.à cap.2.Martin.Carrillo in annalibus cent.16.lib.6.anno 1580. & tunc sub rebellionis,& belli colore nullũ ius contra suũ Principem consequi potuere nisi verum sit,quod

Non ius arma dedit,potius ius arma dederunt.

Nec

Nec aliud reſpondit Turcarum Imperator,dum armis & vi Bulgariam occupat,& ab Imperatore Conſtantinopolitano interpellatus, ne Regem amicum,& cōfœderatum regno ſpoliaret;enſem dextra attollens,*hic*,ait,*regna dat & aufert*, Iouius in Turcis.

Quod autem ait Incognitus cap.7.ad fin.accolas totius tractus Africani, aut Aſiatici partem maris quemque ſibi proximam piſcando ,& nauigando perpetuo vſurpaſſe,nunquam à Luſitanis prohibitos,refellitur,tum quia ex Bart.& Cœpola obſeruauimus ſupra cap.10.num.41.protectionem,iuriſdictionem,ſeu potius Imperium Imperatoris non excludi ex particulari cuiuſque terræ adiacentis poſſeſſione,& iuriſdictione:ſicut non excluditur ex dominio vaſſallorum particulari ad notata per D.Thom.1.par.q.96.art.4.Sotum lib.5.de iuſt.q.1. artic.1.gloſ.verb. ſanctionem in proœm.ff.Bar.in l.1.n.15.ff.de iuriſdict.vbi Curtius num.108.teſtatur communem Padil.in l.Altius num.5.C.de ſeruit.Valaſc. de iure emphyt. q.8.num.20.21.& 43 concl.5.Cald.de empt. ca. 21.num.11.& paſsim alijs;tum etiam quia vt oſtēdimus ca.8.cauſa ſexta, per maris Indici tractum nullus nauigare poteſt abſque licentia Luſitanorum,cui prohibitioni omnes Reges confœderati & non confœderati (excipe hoſtes) acquieſcunt, dum

dum à nostris impetrant Saluum conductum.

50 Notabit obiter, nec oscitāter lector in hac obbiectione mentem Incogniti esse, quod Lusitani non possunt prohibere alios à nauigatione ad Indos, idque ex eo quia ipsi Indi nauigationibus, & piscationibus tractum illum perpetuo occuparunt, nec à nostris eiecti vnquam fuerunt, aut ab ea quasi possessione eijci potuerunt, ita intendit Indici maris tactum nauigationibus, & piscationibus occupari posse, & ita mare nauigationibus, & piscationibus acquisitionis capax esse, quo fundamento totam suam dissertationem euertit; sed subtilius respondet Incognitus mare à Turcis, Mauris, & infidelibus, non à Catholicis nauigando, & piscando occupari posse, rationem autem differentiæ alijs (prout assolet) excogitandam, & inueniendam relinquit.

51 Pro huius capitis, & argumēti coronide illud contra Menchacam, & Incognitum notare libet dum vterque.

Incidit in scyllam, cupiens vitare Carybdim.

Probant namque præscriptionem admitti posse in rebus publicis à tēpore prohibitionis, cui prohibiti acquiescant, ergo ex eorum confessione, & sententia ius hoc prescriptibile est. Est enim celebris doctrina Bald. l. 1. C. quando non petentium partes, recepta ex Garc. de nobilit. glos. 12. n. 82, sin-

singulariter decidentis illud quod non est renunciabile, non esse præscriptibile, ergo si est renunciabile, est præscriptibile, cum contrariorum eadem sit diciplina, vt docet Consultus l. fin. in fin. ff. de legat. 3. ornat Euerard. loco 19. conducit illud, quod resoluimus sup. cap. 7. in fin. & ipse. Mechaca Illustr. cap. 89. num. 37. ad fin. probat illud quod ex concessione expressa fieri potest, adquiri etiam posse ex tacita, & per consequens ex præscriptione.

52 Tandem non obstat opinio Castrens. l. fin. nu. 4. ff. de vsucap. resoluentis non sufficere mille annos ad præscribenda loca publica, quia præposte re acceptus est a Meneh. & ab Incognito; duo nãque dicit Castrensis. Prius in rerum publicarum adquisitione non opus esse præscriptione, sed occupatione, quod tamen supra ad 4. num. 16. reiecimus; estò tamen illius opinio esset vera, pro nobis stat, si enim sufficit occupatio, à fortiori sufficiet præscriptio; cum ea, quæ per possessionem adquiruntur, possint & præscribi, vt deduximus sup. c. 11. ad quintum.

53 Posteriusvero est quod qui ædificat in loco publico, si ædificium penitus corruat, & ille, cuius erat, dereliquerit, verum in hoc casu possit antiquus possessor alium ædificare volentem prohibere? & resoluit quod non, etiã si per mille annos durasset

durasset occupatio concurrentibus ijs, quæ supra dixerat, scilicet data negligentia prioris domini, & non interueniente protestatione, prout ipse declarat, & notat Balbus de præscriptionibus 4. par. quintę q.6. num. 7. quod quidem tantum abest, vt nobiscum pugnet, vt verissimum mihi videatur.

In his enim, quæ pro derelicto habentur quis dubitat nullum tempus pręcedens impedire possessionem, & dominium in futurum, quod præcipue procedit in locis publicis, in quibus, dirutis ædificijs, res in pristinam libertatem reducitur, vt bene decidit Vlpianus d. l. fin. ff. de vsucapionib. ac perconsequens si Lusitani nauigationem Indicam omittant etiam post mille annos; non dubito quin alij eam sibi vendicare posśint; durante verò quasi possesśione possunt vtique Lusitani prohibere aliorum piscationem, & nauigationē, vt fatentur etiam illi, qui præscriptionem maris negant, & hic est vnus ex effectibus, quos considerant durante illa quasi possesśione Balbus dicens receptum, & verū post Bart. & alios de præscriptionib. par. 5. q. 6. num. 10. vbi eam constituit conclusionem. *Prohibere possumus, ne quis intret locū nobis inuitis, vnde prohibere possumus ratione possessionis nauigationem, & piscationem maris, & fluminis, quæ aliàs nobis communia sunt de iuregentium.*

54 Hinc deduces frustra defatigatum Incognitū

dum

dum totus est in neganda rerum publicarũ præscriptione. Ea enim quæstio quoad propositũ inutilis est; estò namque quod vera esset pars negatiua, nihil officeret, cum nobis sufficiat esse in ea quasi possessione nauigandi in Indos priuatiuè quoad alios; qua data concors est omnium sententia (ipso etiam adstipulante Incognito, vt constat ex argumẽto 4. de quo supra numer. 17.) & ea durante fas est nobis alios ab eadem excludere, vt Bartolus & cæteri relati numer. precedenti fatentur.

SVMMARIVM.
Cap. XV.

1 *Incognitus blaterat contra Lusitanos.*
Iudicet ille de alterius errore, qui in se non habet quid cõdemnet.
2 *Fides mendacijs opponitur & tripliciter cõsideratur quoad Regem, quoad contrahentes, quoad hostes.*
3 *Lusitanorum fides erga suos Reges absque exemplo.*
Ega moniz fides memoranda iu liberando Henrico Principe.
4 *Martinus de Freitas Conymbricæ præfectus fide, & cõstantia erga Sanctium Regem illustris.*
5 *Bataui rebellarunt contra suum Principem naturalem.*
Rebellio est maximum malum.

Rebellare contra suum Principem etiam malum, & tyrannum non licet.

Reges velut patres colendi, & ferendi.

Patriæ honorem, & vitam debemus.

Iniuriæ in parentibus, patria, & regibus nõ vindicãdæ.

Hispaniæ Rex non dominus, sed pater est.

Fœlices Hispaniæ Regis subditi.

6 *Lusitanorum fides, & veritas in commercijs.*

7 *Batauorum dolus, & fraus in contractibus cum Indis.*

Bataui genus noxium, populandisque prouincijs natum

8 *Fides hosti seruanda.*

9 *Pueri Lusitani fides erga acerrimum hostem.*

10 *Fr. Antonij Laurerij fides erga hostem.*

Didaci a Silueira nobile factum in fide hosti seruanda.

11 *Ioannis Castrij Indiæ Proregis insigne fidei seruandæ documentum.*

Apologia Analytica pro Lusitanis.

Cap. XV.

BLATERAT Incognitus multa Lusitanis imponens; eos enim vocat mendaces capit. 5. & 7. pauperes ante Indicam nauigationem capit. 7. in hæc verba, *quibus factum vt inops diu populus ad repentinas diuitias subito prorũperet*, *lucris* velut dardanarios inhiãtes; c. 12. *non miracula non signa audiri, non exempla*

vitæ

vita religiosæ, quæ ad fidem possent alios impellere, sed multa scandala, multa facinora, multas impietates, cap.4.ad finem, quod olim de Castellanis dixerat Victor. 2.p.de Indis num.38.iudicet ille de alterius errore, qui non habet quod in se ipso condemnet ex D.Ambrosio relato in cap.iudicet 3.q.7.& Papa Calixtus I. monet, quòd ponderet vnusquisque sermones suos, & quòd sibi loqui non vult, alteri non loquatur, c.ponderet 50.dist.

De fide & veritate Lusitanorum.

2 Mendaciis fides, & veritas opponitur; hæc tripliciter quoad propositũ cõsiderari potest, vel in ordine ad Principẽ, vel inter cõtrahẽtes, vel respectu hostis: in prima specie Catholicis hoc Lusitanis ab orbis exordio diuinitus est concessum, vt nunquã Reges suos cõmuni decreto cõstitutos armis petiuerint, Tho.Bos.de sign.Eccl.tom.1.lib. 8.c.1.in pr.sing.1.nec in tã longe dissitis terris aliquid vnquam contra suos Principes moliti sint Bos.de sig.Eccl.3.tom.lib.21.c.2.vers.decimum.

3 Alfonsus legiònis Castellæque Rex Alfonsũ Principẽ, qui primus postea Lusitanos Regio nomine est moderatus, intra oppidũ Guimaranis obsidebat, eo animo, vt prius oppidũ capere, quã inde castra mouere cõstituerit: Egas Moniz, qui mi-

norē Alfonsi Lusitani ætatem rexerat,& tūc pro ea auctoritate,& gratia,qua valebat vnus maxime res cōmunes prudētia, cōsilioq; gubernabat: ex oppido egressus,factaque Regis coueniēdi potestate,ita eius animum flexit,vt pace facta ijs cōditionibus,quas ferre ipse voluit , obsidio soluta fuerit,fidei datæ cum post annos aliquot Alfonsus Lusitanus immemor esse videretur ; toletum Egas abijt ad Regem,collū laqueo implicitus, vt capitis supplicio Sacramenti religione exolueretur,quod se inuito violatū esse excusabat . Tanti viri squalore,& lacrymis Rex ad misericordiam flexus impunitatem dedit,ex Marian.libr. 10. de reb.Hispan.cap.13. ad finem.

4 Alfonsus Boloniæ Comes in fratris Regis Sānctij administratione à Clem.V.c.grandi de supple.negl.in 6.suffectus Conymbricam obsidebat in Sanctij fide perstātē,Martinus de Freitas vrbis & arcis præfectus nunciata Sanctij morte (decesserat enim Toleti) impetrata à Comite licentia Toletū de latus,aperto Regis extincti sepulchro Conymbricēses claues in manus dat ab homagio & Sacramento se exoluens,Chronica Alfonsi sapientis c.7. *Viri fidem*,ait Marian.de reb.Hisp. libr.12.capit.4.in fine,*atque constantiam omnibus sæculis prædicandam,Lusitani generis,& sanguinis propriā laudem*.

Bataui

5 Batavi vero contra suum Principem rebellarunt, quo nihil miserius, nihil fœdius, & mare calamitatum ait Lypsius pol. lib. 6. c. 1. nec subditus contra Principem naturalem licet malum, crudelem, & tyrānum aliquid moliri potest, Bodinus de republica lib. 2. ca. 5. Nam cum reipublicæ iniurię nobis tolerandæ sint, & Regum etiam, qui reipublicæ parentes sunt, offensiones perferendæ; Quoniam iniuria nec in parentibus, nec in patria vendicanda est, quibus post Deum, vitam, ingenium, & disciplinam debemus; neque naturæ repugnare, nec patriam lædere, neque fidem frangere, quamuis omnibus iniurijs oneratus sis, vnquam licebit, Osor. de reb. Emman. lib. 11. pagin. mihi 422.

Cum tamen Regimen Hispaniarum Principis magis paternum, quam Dominicum sit, provt ex teris etiam notum est, vt verius de eo dici possit, quod de Alexandro dixerat Plutarch. *fœliciores esse, qui sub illius Imperio degunt, quā qui illud effugerunt.*

6 Circa vero cōmercia ex primo nostrorū in Indiā aduētu tāta apud Reges, populosq; illos Lusitanorū fides cōcepta est, vt cū Petrus Aluarus Capralis primus post Gamā Indicæ classis Nauarchus, à Cananoris mercatoribus certum pondus Zingiberis atque Cinnamomi emeret; Rex existimans ex defectu pecuniæ non plus oneris illū accipere,

 sibi

sibi fore gratissimum significauit, si velit vti suis pecunijs, perinde ac si Regis Emmanuelis essent, agit Capralis gratias & ostendit nuncijs magnũ numerum aureorum nummorum, vt intelligeret Rex non ex pecuniæ inopia, sed quod naues iam satis oneratæ erant, emere plura noluisse Osor. lib. 2. de rebus Emman. pag. 79.

7 Per contrarium vero Hollandenses anno millesimo sexcentesimo ex historia Æthiopię Orientalis lib. 4. c. 24. cum duabus nauibus Iauam peruenere, vbi varias merces emerunt ereis nummis ingeniose tamen argentatis, & post onus susceptũ, cum Iauoenses fraudem & dolum detegerẽt, eos in carcerem coniectos nauibus, mercibus, & vita spoliare voluere, sed ab illis vix impetratum est, vt alios mercatores ex Batauia expectarẽt, qui veros nummos ad ipsorum satisfactionẽ persoluerent, prout contigit post sex menses miserrimæ custodiæ; vnde eorum opinio per illam Orientis plagã non mediocrem accepit iacturam, *Hollandini* (ait Albertus Crantius in Vandalia lib. 14. cap. 18.) *noxium genus hominum, qui populandis terris natum est, diffusum per Regiones Orientis, Liuoniam, Prussiam, Pomeraniam.*

8 Tandem circa fidem hosti seruandam, prout decet ex D. Augustino relato in cap. noli 33. q. 1. vt eleganter prosequitur Becan, 2. tom. opusc. 1.

a cap.

à cap. 1. quod Roma in vno regulo admiratur Horat. lib 3. carm. ode 5.

Fertur pudicæ coniugis osculum
Paruosque natos, vt capitis minor,
A se remouisse, & virilem
Toruus humi posuisse vultum.

9 In nostris pueris clariora fidei documenta splẽdescunt; ad Suarium Indię gubernatorem venit puer Lusitanus cum litteris à Lusitanis, qui fuerãt à Calecutij Rege, Capralis tẽpore, capti, vt pacẽ cum ipso Rege iniret, & eos à miserrima seruitute in libertatem vindicaret: lectis litteris Suarius pacis conditiones non approbans puerum retinere voluit; puer autem constantissime repugnauit dicens se nunquam tantum dedecus admissurũ, vt datam fidem metu mortis, aut seruitutis violaret, captisve cædis causa foret. Osor. de reb. Emm. lib. 3. pag. 140.

Interque mærentes amicos
Egregius properabat infans. Exul ex Hora. sup.

10 Fr. Antonius Laurerius Franciscanus è Socotõra Indiam petens ad Suriatum oræ Cambaicę facto naufragio cum aliquot Lusitanis ad Mamudium Regem captiuus abducitur; cum iam diu in eo seruitio degerent, atque ad eos eximendos accederet nemo; Laurerius omnium consensu delectus est, qui Goam de redemptione contẽderet,

ea lege, vt si nihil transigisset, intra certum diem bona fide rediret, atque eius reuersionis quasi ob fidem, & pignus horridum funem, quo cingebatur; reliquit Regi: vt Goam peruenit, absente per id tempus Prætore, nihil decidi super tanta re potuit, ita infectò negotio protinus, vt promiserat in Cambaiam reuertit. Quę res tanta admiratione Regem affecit, perpuratosque, vt confestim sine vllo pretio, quin etiam ornatos, lautosque Lusitanos benigne dimiserint; neque id modo Laurentij virtus, & sanctitas consecuta est, verum etiã apud illas nationes non parua cum vtilitate egregiam probitatis existimationem, & famam nomini Lusitano peperit: sane quam egregio documẽto non solum ad conscientiæ fructum, & officij religionem, sed etiam ad opes, & gloriam, constãtia promissorum, & fide nihil in rebus humanis esse præstantius, ex Maffæi lib. 5. hist. Indicar. pag. mihi 115.

11 Didacus de Silueira dũ magna classe Erythreum mare ingreditur, vt Sarracenorum naues interciperet, ab Indięque nauigatione auerteret; quãdam ingentem nauem mercibus, & Mauris onustam offendit; cuius dux vt nostros myoparones agnouit, subductis velis ad Silueiram in scapha accedit, & ei confidenter Lusitani hominis (qui in Iuddâ captum se referebat) epistolam ad instar sal

ui conductus (cujus mentionem fecimus capit. 8. num. 25.) obtulit, qua captiuus Lusitanis verbis à Lusitanis ducibus postulat, vt nauem illam, quę cuiusdam nequissimi Mauri erat, prædarentur; Silueira tamen propter Sarraceni fiduciam, & Lusitani nominis æstimationem non solum nauem auro, & pretiosis mercibus refertam generoso dimisit animo, sed & capti fraudem occultans discerpta epistola firmum saluum conductum Sarraceno Nauarcho concessit; ne forte in alterius ducis manus inciderit, qui non tantum honori, & reputationi deferendum putaret, & sic hosti fidem, & fiduciam contra mancipii perfidiam, in Lusitani nominis decus seruauit Barr. Decad. 4. libr. 4. cap. 22.

12 Ioannes Castrius Indiæ Prorex cæsis, & profligatis ad Dium parua manu, sed ingenti animo, magnis Cambaiæ legionibus, arcem ab hostibus pene dirutā à nouis fundamentis multò quā antea firmiorē ędificare constituit; retardabat opus pecunię penuria, eamque inueniendi sine pignore difficultas: sedit animo è venerabili illa barba crinem euellere, quem pro necessarijs ad opus numis oppigneravit, & intra constitutum tempus solutis pecuniis redemit: hunc tanti viri posteriores factis & splendore non inferiores in fidei seruandæ testimonium omni Thesauro pretioso

rem religiose custodiunt,& sæpius videre cupientibus ostendunt.

SVMMARIVM.
Cap.XVI.

1 *Lusitania auro abundans.*
Lusitaniæ Reges bella contra Mauros, & Turcas gessere absque amicorum auxilijs.
Lusitaniæ Reges alios Principes Catholicos armis, pecunijs, exercitibus, vel classibus cōtra fidei hostes adiuuarunt.

2 *Dionysij Lusitaniæ Regis liberalitas in Reges Aragoniæ, & Hispaniæ.*

3 *Ioannes II. Lusitaniæ Rex Regibus Castellæ Catholicis largè suppetias mittit ad expugnandam Malacam, & succurrit Maximiliano Flandriæ Comiti num. 4.*

4 *Maximilianus profligatus petit, & obtinet à procuratore Regis Lusitaniæ pecuniam ad bellum restaurandum.*

5 *Alfonsus IIII. Lusitaniæ Rex opem tulit contra Reges Mauros ad salsum.*
Victoria insignis ad salsum amnem contra Mauros.
Alfonsus V. ad liberandum à Turcis Hydruntū classem mittit.

6 *Ioannes Lusitaniæ Rex III. succurrit Castellæ pro Carolo. V.*

7. Em-

De Lusitanorum diuitijs ante Indicam nauigationem

Cap. XVI.

1 LVSITANIAM auro abũdare olim scripserat Plinius, dicens, *nec in alia parte terrarum tot sæculis hæc fertilitas*, libr. 33. capit. 4. idem firmat Strabo lib. 3. de situ orbis, sed illud non prætermittendum in Tago aurum adeo purum putum arenis erui, vt Ioannes III. Lusitaniæ Rex ex eo auro sceptrum confici iusserit,

rit,quo hodie Reges, vel quando acclamantur, vel quando inconuentu Regni assistunt,ytuntur EduardusNun.in descriptione Lusitaniæ cap. 14. sed iam Plinius libr. 3.cap.4. Tagum Gangi,Patolo,Hermo,& Pado in hac excellentia præfert, & hodie in Lusitania auri,& argenti fodinæ inueniri poterant,nisi edicto Regio prohibitæ forent ex eodem Eduardo. Posteriori sæculo annalibus cõstat Reges Lusitaniæ varia bella contra Mauros, & infideles in Africa, & Asia perpetuo gesisse nullis ad ea ab amicis auxilijs erogatis;contra vero hi semper Principes Catholicos,vel pecunijs, exercitibus,vel classibus liberaliter,& laudabiliter iuuarunt.

2 Dionysius(vt antiquiora omittamus) cum in Castellam,& Aragoniam arbitrij causa vbisset,eo apparatu, & magnificentia præ cęteris Regibus excelluit,vt etiam carpant Zurita in annalibus Aragonię part.1.lib.5.cap.66.Mariana lib. 15. hist. Hispan.cap.7. Tentorijs enim toto itinere erectis abstinuisse oppidis memoratur;nullus fere ex nobilibus vtriusque aulæ indonatus ab eo discessit,& Iacobo Regi Aragoniæ vxoris fratri,magnam auri summam mutuo petenti, oppidũque propignore offerenti,mutuum negauit, duplum dono dedit,abeo autem cumhospes esset,nec xenium quidem ipse,vel suos accipere voluit. Castellæ

stellæ Regi Fernando genero suo, præsidium abeo ad belli sumptus poscenti, vltra magnam pecuniæ summam, smaragdinum poculum pretij inæstimabilis dedit; cum autem non tantum præsentibus nobilibus donasset, sed & absentibus munera misisset, & in Portugaliam reditum pararet, nobilis quidam Castellanus quæstus est, quod se solum indonatum omitteret; cumque Rex se excusaret, quod illius notitiam non habuisset argenteam mensam magni ponderis, in qua cœnabat, & quæ solum ex Regio instrumento supererat, ei obtulit, addens, vt boni consuleret: nihil iam sibi esse reliquum, quo eum honoraret, ex Eduardo Nonio Leone, P. Antonio Vasconcellio, & alijs, in Dionysio.

3 Fernando & Elisabet Catholicis, dum Malacam obsident diutius quam vires, & pecunia paterentur, à Ioanne II. Lusitaniæ Rege mutuas postulant munitiones, ne ab incæpta oppugnatione desistant, quod Ioannes libenti animo, & liberali concessit, quibus auxilijs obsidio expugnata vrbe fœliciter successit, Resedius in Chronica Ioannis 2. cap. 61.

4 Cum Maximilianum Flandriæ Comitem Romanorum Regem Brugenses ciues captum custodijs circumdedissent impetu in Regiam facto, (auctor est Marian. lib. 25. cap. 11.) idque aliunde

Ioan-

Ioannes II. Lusitaniæ Rex sciuisset, extemplò legatum ad Maximilianum misit, cum militum, & classis pollicitatione, cum Syngrapha Regia ad nobilissimos drapesitos data, qua inspecta Flandriæ Comiti quadragies sextertiũ numeraretur, quę pecunia eo tempore, & sæculo, quamuis Rex iam in libertatem esset vendicatus, ad illius tamẽ autoritatem, honorisque æstimationem, ac pacis conditiones magno fuit adiumento ex Resend. in Ioan. II. cap. 71. & cum postea idem Maximilianus Antuerpiæ ad bellum persequendum, & exercitum soluta stipe sibi de cætero tuendum, nummis indigeret, à Didaço Fernandez, qui Regis Lusitaniæ negotia tunc Antuerpiæ procurabat, magnam nummorum copiam nomine dicti Regis Ioannis II. postulauit, quam procurator præsentem numerauit, quod Ioañes adeò approbauit, vt & generositatem Didaci laudauerit, & magnis honoribus, & beneficijs ornauerit Resendius in eadem Chronica cap. 175.

5 Anno 1340. Alfonsus Lusitaniæ IIII. Alfonso XI. genero opem tulit contra Olbohacenum Marrochorum Imperatorem, & Abenhamet Granatę Regem, & ad Salsum amnem nobilissimam victoriam Toletanis etiam anniuersarijs sacris celebratam vterque Alfonsus cæsis supra ducenta Maurorum millibus adeptus est, historiæ

Lusita-

Lusitaniæ in Alfonso Quarto, Mariana de rebus Hispan.lib.16.c.7.& 8.Carthag.in anacephalæo si Reg.Hisp.c.87.Zur. 2. p.c.53. Alfonsus V.in insignem classem aduersus Turcas, qui Hydruntum vulgo Otranto Neapolis nobilem vrbem expugnarant, ad Sixti Quarti instantiam misit Eduard.Nun.in descript.Lusit. cap. 48.

6 Quo tempore communitates, vt vocant, Castellæ in Imperatorem Carolum Germanicis bellis implicitum arma sumpsere: qui pro Imperatore sese opposuere, viribus, & nummis destituti, à Ioanne Lusitaniæ III.armis, munitionibus, & pecunijs adiuti de seditiosis victoriam, & suppliciũ reportarunt, Osor.de rebus Emman.lib.12.reiecta ex aduersarijs regni inuestitura ex eodem Osor.& Conrado Lycothene, apopthem.tit.de fide seruand.

7 Bajacetus Turcarum Imperator magnam classem instruxerat, qua insulas, & ciuitates Græciæ, quæ ad Venetorum Imperium pertinebãt, in suã redigeret ditionem: Emmanuel Lusitaniæ Rex ingentem classem ad Turcarum impetum retundẽdum obtulit, cuius in Corcyram delatæ fama, & procinctu aliorum Principum deterritus Turca classem maximis ędificatam sumptibus ab instituto bello inglorius reduxit, Osor.lib.2.de rebus Emmanuelis.

Multò

8 Multò maiorem in Caroli leuiri auxilium ad Tuncti expugnationem detulit Ludouicus Ioannis Lusitaniæ III. Regis frater, Sãdoual in Chronica Caroli V.& Andrade in Chronica Ioannis III. 3, par. cap. 15.

9 Si ergo Lusitaniæ Rex exercitibus, classibus munitionibus & pecunijs principes Imperij, Neapolis, Castellæ, Aragoniæ, Flandriæ, Venetiarum & alios sæpe munifice etiam ante Indiæ explorationem iuuauit; ignorantię supinæ, aut impudentis mendacij crimen non effugiet Incognitus.

10 Sed & ante primam Indiæ nauigationem audiamus Hieronymum Conestaggium Lusitanis parum affectum lib. 1. in pr. de Portugaliæ, & Castellæ coniunctione; *valde* (ait) *iam creuerat Regnũ incolarum numero, ac diuitijs; longe vero impensius postea creuit anno 1482. ex Iudæorum à Castellæ expulsione, quorum ingens numerus ex Castellæ finibus eiectus à Ioanne secundo licentiam in Lusitaniam migrandi obtinuit sub hac lege, vt octo ducati in singula capita soluerentur, & alijs conditionibus; circiterque viginti millia familiarum, quarum singulæ decem amplius capitibus constabant, in Lusitaniam migrantia fiscum Regium non mediocriter auxere.* Quibus vltra ærarij, Asiæque opes in Indiæ expeditionem exhaustis, ad eam sustinendam nobilibus donatiua indixit Emmanuel Lusitan. Rex.

11 Ita vt ante Indiæ explorationem nullum ex Euro-

Europæis Regnum opulentius Lusitano inveniretur, vt constat ex historijs, vel eò maxime quia cæteri Christiani orbis Principes assiduis bellis velut Cadmea gens inter sese desciderent, & cō sumerētur.

12 Quorum subditis liberum olysipponis emporium mercatorum totius orbis frequentia illustre semper patuit; commercijs autem vniuscuiusque Regni opes præcipue augentur: ideo Acosta lib. 3. de proc. Ind. Salute c. 11. verè & meritò dixit Indiam Orientalem auro, & auspicijs Regum Lusitanorum partam: vnde perspicatiores intelligūt Lusitaniam viris, armis, opibusque opulentiorē fuisse ante Indiæ nauigationem, quam post; cum per tot colonias vires diuisæ omnem substantiā è Lusitania exugant, & exhauriant.

13 Adde quod ante Indiæ nauigationem arx D. Georgij, quę ob auri fodinas Mina nuncupatur, sub Lusitanorum Imperium iam venerat; ex qua singulis annis tàm ingens auri pondus in fiscum Regiū deferebatur, vt Cananoris, & Cochimi legati cū in Indiam reuerterentur, in itinere naues ex Mina obuias habentes, tantam auri copiam (quam eis Indiæ prætor, & Almiraldus Vascus à Gama in beneuolentiæ, & gratiæ signum ostendi procurauerat) admirati contrariam opinionē, quam ex æmulorum inuidia conceperant, de-

posuerint Barrio. decad. 1. lib. 6. cap. 2.

SVMMARIVM.
Cap. XVII.

1 *Lusitani perlustrant quotannis Oceanum ab herculeo freto vsque ad extremos Sinas, & Iaponios.*

Batani, & alij inuident Lusitanis lucrum, quod ex suis nauigationibus accipiunt.

2 *Lusitani lucrum ex nauigationibus nanciscuntur, vt eo fidem Catholicam defendant.*

Rex Lusitaniæ in Africa, & Asia magnos sumptus facit in fidei tutelam, & incrementum.

Hispaniæ Rex armatus est mari, terraque contra Turcas, Mauros, piratas, & rebelles.

3 *Lucrum ex Indijs non æquat sumptus pro conseruanda fide Catholica insumptos.*

Batani infestant sui Principis naturalis possessiones. Prædis illecti caueant, ne fiant prædæ.

4 *Auri, Argenti, gemmarum & aromatum copia ex Indijs adducta non solum inseruit fidei Catholicæ defensioni, sed etiã Ecclesiarum Diuinique cultus ornamẽto. Olysipone singulis annis expenduntur viginti millia aureorum in odoribus, qui saris in delubris cremantur.*

5 *Lusitani præferunt honorem diuitijs, & inseqq.*

De.

De Lusitanorum lucro ex Indico commercio.

Cap.XVII.

1 OBIECTAT Incognitus Lusitanis lucri auiditatem, & quod sibi velut dardanarij vniuersi orbis quæstum soli vsurpare satagant: haud credendum erit Incognitum ob bonum publicũ talia effutire, sed proprio commodo ad hæc verba incitari, propter quod & alij nostræ inuident nauigationi, potius suum lucrum affectãtes, quã propagationem religionis.

2 Cum Lusitani lustrent quotannis quidquid Herculeo freto vsque ad extremos Sinas, & Iapo nios Oceanus circunfluit Bos. de sign. Eccles. 3. tom. lib. 20. cap. 6. pag. 51. id quoque emolumentum etiam & opes ex suis peregrinationibus quærunt, sine quo vix tota Europa substinere posset sumptus, quos quotidie Lusitanię Rex in Africa, & Asia in fidei Catholicę augmentum, & protectionem, cum maxima hominum, & pecuniarũ iactura facit; ita vt nec Indiæ merces, nec Lusitaniæ ad tantum onus sustinendum sufficiant: præcipue hodie cum Rex noster varijs in Prouincijs cum exercitibus, & classibus mari, terraque cõtra Turcas, Mauros, infideles, piratas, rebelles

& Hæreticos, armatus esse debeat; in quo non tã pomeria suæ ditionis quàm Christianæ exhaustis in id proprijs & vassallorum facultatibus quærit, Damianus à Goes de rebus, & Imperio Lusitanorum ad Paulum Iouium.

3. Itaque maius onus & hoc grauissimum, quam lucrum nauigatio Indica Hispanis affert, vt testatur Acosta libr. 3. de procurand. Indorum Salute capit. 3. testis est ipsa Batauia, quę contra suum Principem potentissimum, sed maioribus districtum curis, Hispaniæ auro, & diuitijs armata tot annis non solum insultet, sed in illius fines, & ditiones audacter ingrediatur prædis illecta; quæ quia hamatæ sunt, caueant, ne qui illis pascuntur, tandem ipsi prædæ fiant.

4. Ipsa etiam auri, argenti, gemmarum, ac aromatum copia non tantum ex Indijs aduehitur, vt Rex Catholicus Ecclesiam Catholicam aduersus inferni portas protegat; sed vt in res etiam sacras, templa, sanctorum & præcipuè immaculatæ Deiparæ imagines, ac solemnia sacra erogentur: ita vt (ut maiora omittam) ex viris fide dignissimis affirmet Bossius statim citandus Olysippone singulis annis expendi aureorum viginti millia in odores, qui sacris in delubris cremantur: quę munera & opes amplissimas.

ſimas ad Eccleſiæ Catholicæ cultum, & ornamẽtum ex longinquis oris deferenda diuinis oraculis probat, & inter vera Eccleſiæ Catholicæ ſigna refert Thomas Boſsius de ſignis Eccleſ. 3. tom. lib. 20. cap. 6 pag. 51.

5 Vt autẽ cõſtet quod Luſitani omni lucro Religionis cauſam ante ferunt, illuſtre Indici Proregis factum proferatur: Cõſtantinus Brigantini Ducis filius Indiæ Prorex potentiſsimum Ianafatani in Taprobane tyrannum debellauit, coroneque Luſitaniẹ ſubegit anno 1560. & inter opima Theſauri ſpolia dẽs ſimij (cui fanũ inſigne di catum erat, cuius (vt alia ſileam) dumtaxat pecori in victimarum vſum cuſtodiendo, porticus mi ram in longitudinem excurrebat, columnarum ſeptingentarum è marmore tantæ magnitudinis vt Agripẹ columnas, quẹ in celeberrimo omniũ Deorum templo Romæ viſuntur, ſine dubio adæ quarent ex Maff. lib. 1. hiſt. Ind.) in adyto inuentus, quem tutelare veluti numen magna Orientis pars ſuperſtitioſiſsime colebat, ſinguliſque an nis Orientis Reges magnum auri & gemmarum pondus per ſuos legatos nefario denti offerebãt; impreſſamque in aromatica maſſa effigiem ſibi deferri curabant, vt ſi non prototypum penes ſe, imaginẽ ſaltẽ haberent. Huius reliquiæ amiſsionẽ

prædicti Reges ægre tulere; & statim Pegu Rex in Taprobanem ad Victorem legatos mittit cum magna aureorum millium copia, vt dentem illu gentium Orientis solamen, & idolum sibi concedat cum mandatis, ne legati vllo pretio reliquiã dimittant, seque reliquis Orientis Regibus in re tanta præferri procurent: & cum nostri Imperij status pecunijs valde laboraret, propter ingentes sumptus, qui quotidie ex insurgentium bellorũ occasione, & impensis oriebantur; virique militares non dimittendam aurei millionis oblationẽ instarent, quibus, & militibus debita stipẽdia solui, & in seruitutem Regum superbia, & rebellio redigi in fidei augmentum, & nostri Imperij stabilitatẽ, possent; nec ideo idololatriæ ansam barbaris præberi clamitarẽt, quãdò quidẽ, & ipsi idololatræ erant, & illius nefandę reliquiæ imaginẽ colebant; vnde ex prototypi adoratione nullum vitij, aut virtutis discrimen constitui poterat; vicit tamen Constantini constantia, ac suffragium & ex Theologorum sententia superstitiosam reliquiam Ethnicis nequaquam reddendam cuiuslibet pretij intuitu, aut maioris boni colore cõstituit, & extemplò in ipso senatu, & coram eisdẽ consiliarijs, dentem zaffris, carbunculisque magni pretij exutum, seu potius degradatum, in aheneum mortarium proprijs manibus, in pulueres reductum

ductum in ignem ad illud sacrificium accensum proiecit, cultui Diuino, & fidei zelo omnes Thesauros, & humanos honores postponens Lucena in vita Xauierij lib. 2. cap. vltim. Petr. Ortix en la viagen del mundo libr. 3. cap. 13. licet id per incuriam Petro Mascaren. tribuat: exhibeant Bataui, qui nobis fidei Catholicæ mendas obijciunt, & improperant, ex omni antiquitate simile religionis exemplum; sed hoc Brigantinę familiæ opus est, vt cęteri Europæ Principes, sicut ab illa prosapiam ducunt, virtutum quoque & religionis documenta accipiant.

6 Alfonsus Albuquercius Indiæ Prætor cum Vtimutiraiam, quem Mauris in iure dicundo Malacæ præfecerat, ob proditionis crimen capite plecti cum filio, & nepote constitueret, centum millia aureorum, quæ ab Vtimutiraiæ vxore pro illorum vitis offerebantur, iustitiam prętio licitandam non esse respondens, contempsit Barr. decad. 2. lib. 6. cap. 7. Maffæus lib. 5. histor. Indic.

7 Aluarus Acuña, dū Diensi arci à Mamudij exercitu obsessæ subuenit, naues auxiliares expugnat, ducem in arcē infert, cui magnū auri pondus frustra offerenti cū primoribus abscissæ ceruices, ab hostibus agnitæ rabiem in Lusitanos acuere, Damian. de bello Cambaico comment. 3. ad fin. Maff. lib. 13. hist. Ind.

SVMMARIVM.
Cap. XVIII.

1 *Incognitus improperat Lusitanis scandala, facinora, & impietates in India.*
Lusitani intra Ecclesiam Catholicam constituti ex Incogniti confessione.
2 *Ecclesia vera veris miraculis constat.*
3 *Nouatores miraculis suam doctrinam non confirmant.*
Apostoli signis & virtutibus prædicabant.
D. Paulus miraculis doctrinam Christi confirmat.
Moyses miraculis ostendit se à Deo missum.
Regnum Dei non in sermone, sed in virtute consistit.
4 *Lusitaniæ Regum præcipua cura infidelium conuersio.*
5 *Epistola Ioannis tertij circa fidem Catholicam dissiminandam, & conseruandam in Oriente.*
6 *Miracula ad infidelium conuersionem concurrunt, vel in bellis, vel in fidei probationem.*
Miracula hodie cur non fiant frequentius in infidelium conuersione, sicut olim?
7 *D. Franciscus Xauerius Apostolorum hæres miraculis plantat fidem in Oriente.*
Sina & Iapo martyribus pro fide Catholica triũphat.
Iesuitæ cum magno fructu in Orientali cõuersione operãtur, duplicique honore fruuntur velut Bejamin.
8 *Lusitani laici velut nuncij Apostolici Reges, & populos ad fidem conuertunt.*

Iaco-

Iacobus Canus Congi Regem, & populum conuertit.
Antonius Galuanus in Malucis Reges, & populos conuertit.
Antonius Paiua in Matazares conuertit Reges, ac proceres.

9 *Abassini Imperator, proceres, populusque hodie obsequiũ Romano Pontifici præbent.*
Iesuitæ in Abassia.
Abassini obsequiũ Clementi VII. corã Carolo V. defertur.
Conuersio infidelium, & Apostasiæ reductio ad fidem Catholicam, pertinet ad miraculorum genus.

10 *Lusitani in bellis diuinam opem experti contra Mauros, Turcas, & infideles.*
Virgo, Iacobus, Thomas, & alij sancti visibiliter in prælia pro Lusitanis ingressi.

11 *Batauí cũ Regibus copulati à nostris sæpius repulsi.*

12 *Auberti Miræi testimonium de gloria, & fide Lusitanorum, deque religione Catholica per eos amplificata in India Orientali.*
Lusitani in Indiam arma victricia, & crucis trophæũ inuexerunt.

13 *Gerardi Mercatoris testimoniũ de cultu, Christique religione per Lusitanos in Orientali ora propagata.*

14 *Lusitanorum triumphi in Africa, & Asia contra Turcas, Mauros, infideles, & rebelles.*
Lusitanorum victoriæ diuino potius auxilio, quam ipsorum fortitudini tribuenda.

Religio vera semper in Lusitanis eluxit.

15 *Lusitanorum gloria, & fortitudo non diminuitur ex diuinis auxilijs.*

16 *Lusitani à Deo prædilecti miraculis ab Infantia Regni Lusitanici.*

Alfonsus Lusitaniæ Rex primus debellat quinque Reges Mauros Christi apparitione confirmatus.

17 *Lusitanorũ Regum insignia quinque Christi stigmata, & cur magis Lusitanis, quam alijs Regibus fuerint concessa.*

D. Thomas Christi latus, & vulnera perscrutatur, vt eorum fidem, & veritatem gentibus reuelaret, Lusitanisque idem officium relinqueret.

Alfonso Albuquercio crux in cælo apparet.

18 *Crucis, ad quam interfectus est D. Thomas, miraculũ illustre, ac frequens.*

19 *Spolia hostium Lusitaniam ditarunt.*

20 *Crucis miraculum hodie in Goa.*

De Lu-

De Lusitanorum Religione in India Orientali,

Cap. XVIII.

IM properat Incognitus Lusitanis scandala, facinora, & impietates in India Orientali: cum miracula, & exempla vitæ ad infidelium couersionem ab illis expectanda forent. Maximas certe grates Lusitani Incognito, & debent, & agunt; agnoscit enim miracula, & signa cœlestia à nobis deberi, & desiderari ad fidei Catholicæ confirmationem, & promulgationem; & inde fateatur inuitus Lusitanos intra Ecclesiã Catholicam, Apostolicam, & Romanam contineri.

2 Solum namque miracula vera in vera Ecclesia reperiri, & illam probare docent D. Augustinus tract. 13. in Ioannem de vnitate Ecclesiæ cap. 16. & lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8. Bellarmin. lib. 4. de Eccles. cap. 14. Bosśius latisśime de signis Ecclesiæ tom. 1. libr. 5. cap. 1. & de miraculis in Africa, & India Orientali cap. 2. vers. incusamus, cum seqq. Iodocus Coccius in Thesauro Catholico tom. 1. lib. 8. de signis Ecclesiæ art. 13. & de miraculis Indiæ Orientalis, ad finem artic. & in Eccle-

fiæ

la namque verba singularem pietatem ,& sapientiam Regum Lusitaniæ ostẽdunt, sic ergo scripsit.

5 Ioannes Rex, Ioanni Castrio Indię Pręctori, amico S. Quod non ignoras, idololatria tam graue piaculum est, vt ea in meis Regnis vllo pacto ferenda non sit: delatum est autem ad nos, in Goanis finibus, tùm publicè, tùm priuatim coli sacella idolorum: præterea ludos, ritusque ethnicos celebrari palam. Ac proinde, tibi etiam atque etiam mando ac planè iubeo, idola omnia per idoneos administros inuestigata, & vndique sublata comminuas, comburasque, & cum grauibus edicas minis, ne cui prorsus vllum eiusmodi simulacrũ, aut signum ex ære, ligno, argilla, gypso, aliove metallo, materia, massa, fundere, sculpere, fingere, exprimere, figurare : aut aliunde importatum habere, seu sacra ludosue ethnico more facere, aut Brachmanas concionatores magistrosve, teterrimos Christi aduersarios, vlla ope iuuare, vel tecto recipere liceat. Qui secus faxit, pœnis in edicto propositis nulla remissione mulctator. Et quia gentes ad legitimum vnius Dei cultum, non modo spe futuræ beatitudinis, sed etiam præsentibus interdum pręmijs inuitandę sunt; curabis enixe, vti redempturæ vectigalium, curationes publicę, & alia munera quæstuosa in homines ethnicos ad hanc diem

diem conferri solita, in ipsos Christi neophytos primo quoque tempore transferātur. Ad classes meas deducendas audio promiscuum cogi vulgus Indorum: Placet excipi Christianos, quod si necessitas, eorum quoque operas interdum exegerit; videbis omnino posthac, vti quotidiana illis merces ac iusta soluatur. Atque hoc toto de genere. Michaelis Vasæi sententiam exquires: quē nos virum & publicæ rei bene peritum, & Christianę religionis apprime studiosum animaduerti mus. Ad hæc, certis auctoribus magno mihi meo dolore compertum est; ab Lusitanis hominibus vili pretio coempta mancipia, quæ apud Christia nos dominos perfacili negotio ad baptismū ad duci possunt; Mahometanis ac barbaris mercato ribus, ad non dubium animorum interitum, vberioris quæstus causa venundari. Id piaculum ne admittatur in posterū, neu seruitia vlli nisi Christiano emptori, aut licitatori addicantur, itē graui caucbis edicto. Fœneratorum licentiam, quam certo capite Goanarum legum ali didicimus, fac imperio atque auctoritate coerceas: idque caput è legum serie quam primum expungas. In oppi do Bazaino templum Diuo Iosepho exstruitor, idoneumque stipendium alendo Vicario, & beneficiarijs aliquot, de meo adsignator. Annua porro tria Pardaum millia, in impuras Mahome

tis

tis ædes, & nefarium cultum, ab eius sectatoribus impendi antehac solita; euangelij præconibus, & conuersionis adiutoribus in posterum numerantor. In agro Cialensi, neophytis à Michaele Vaseo institutis, & si qui preterea ad Christum accesserint; è meis vectigalibus trecenti quotannis oryzæ modij ab antistite diuiduntor. Pondera, pretia, pactiones, olim cum Thomęis Christianis initas, qui in Cocinensi ditione diuendunt piper, à nostris mercatoribus labefactari violariq; cognouimus: nec nō subtrahi corollaria, quæ ad pretium addi ex pacto conuento consueuerant: idque magno cum eorum damno pariter & offensione, quibus multas ob causas præcipue consultum oportuerat. Ac proinde curabis quam diligentissime, vt in hisce commercijs, Thomæi prorsus incolumes indemnesqne seruentur: eosque cęteris etiam in rebus, vti Christianos & socios æquū est, liberaliter comiterque tractabis. Ages etiam cum ipso Cocini Rege, vti ritus quosdam ethnicos ab ipsius auguribus in piperis venditione adhiberi solitos (quandoquidem nihil ipsius ea res interest) è nostro commercio tolli permittat. Ab eodem Rege aiunt Indos ex eius ditione, qui relictis idolis Christiana suscipiunt sacra, fortunis omnibus illicò spoliari. Ab eiusmodi immanitate, & tu omnibus neruis amicum Regem niteris

teris auertere:& nos ipsi quoque in eandem sententiam ad eum litteras dabimus. Socotoranam causam diligenter ipse tu mihi, coram & per litteras commendasti: eos ego populos, è miserrima seruitute ereptos admodum cupio; sed cum eo, ne Turca, cuius in imperio sunt, acrius irritetur; classesq; in isthęc maria mittere paulatim adsuescat. Hoc totum, adhibito Michaele Vaseo, tu pro tua prudentia rerumque istarum vsu, videbis cuiusmodi sit. Piscarij littoris incolas, cũ alijs iniurijs affici à meis ducibus ferunt; tum vero cogi ad ea quæ piscantur, sibi tantum, iniqua conditione vendenda. Cauebis igitur etiam atque etiam, ne populis ijs liberum vendendi arbitrium adimatur: ducesque mei in commercio eiusmodi ne quid sibi proprium arrogent, atque ad cæteram quoque tollendam vexationem, videbis num ea littora sat custodiri, meaque vectigalia sat commode exigi sine clasibus possint, quę res si facultatem habuerit; non est cur illuc in posterum nauigent. Præterea, cum magistro Francisco Xauerio consultabis atque dispicies, vtrum ad eius Ecclesiæ incrementum expediat, fasve sit; piscandi potestatem patere duntaxat ijs qui Christum induerint: cæteros; quoad sapiant, eo quęstu & commodo prohiberi. Qui ex ethnicis ad Christum se se conuertunt, eos audio tanquam sceleratos &

sacros,

ſacros,à parenti bus,cognatis,amiciſque tecto ei j ei,bonis euerti,ac ſumma protinus in ſolitudine atque egeſtate verſari.Horum tu inopiæ ſubleuã dæ,communicata cum Vaſæo re,annuam è meis reditibus pecuniȩſummam decernes,diſtribuẽ dam à ſacerdote,qui eiuſmodi neophytorum in ſtitutioni præfuerit.è Ceilano inſula, Regius vti fertur,adoleſcentulus,impias auunculi ne an parentis,effugiens manus,Goam baptiſmi gratia ſe contulit.Huius in perſona quando ad aliorum conuerſionem haud leue momentum eſt, dabis operam,vti doctrina quidem ac moribus,in Diui Pauli collegio cum alumnis cæteris imbuatur: quod vero ad victum cultũque attinet, lauto ſeparatim hoſpitio,impenſa mea copioſe ac liberaliter habeatur.Significauit is ipſe mihi per litteras,ad Ceilani regnum,ſibi ius actionemque com petere:videbis quid nam hoc ſit : totamque rem probe exploratã & cognitam ad me perſcribes. Quod autẽ tyrannus in ſuos populares,qui Euan gelio credidere,tam crudeliter ſæuijt ; feras quidẽ illas,veruntamen debitas tanto ſceleri pœnas ab eo per te quam primum exigi volo:& grauem au daciæ mercedem ſtatui; quo intelligant omnes, nihil eſſe mihi antiquius, quã vt omni ex parte in tegri,incolumeſque ſeruentur,qui à dæmonum caſtris ad Chriſtiana ſigna tranſierint. Ab ethni-

cis artificibus, Christi Domini, Virginis Matris, & sanctorum imagines pingi, atque adeo circum ferri venales; minime decorũ est nomini Christiano. Tu ergo, cum proscriptionis ac virgarum minis edices, ne cui profano tabulas eiusmodi pingere, aut vendere quoquomodo in posterum liceat. Parœciale Cocini templum, itemque Colani, dudum inchoata patere imbribus putrefacienda, turpissimum est. Vtrũque tu, architectis ac fabris adhibitis, quam primum tegendum, ac perficiendum curabis. Placet etiam, in vico Noroa templum Diuo Thomæ Apostolo fieri; Calapore captam sanctę Crucis ædem absolui; itẽque in Ciorano insula templum excitari. prætera, locis idoneis auditoria & scholas institui, ad quę statis diebus non Christiana modo plebs catechismi causa; verum etiam ethnici, ad Euangelium audiendum vel inuiti conueniant. *Quandoquidem in ista mea ditione mihi primum omnium, & maximum est obsequium Dei, & Christianæ religionis amplificatio:* cupio vehementer è Salfetanis quoque & Bardesijs finibus quibus mihi nuper Idalcan cessit: idolorum cultum, ac profanas gentium superstitiones prorsus euelli. Id quo citra tumultum ac vim, hoc pręsertim initio fiat; expedit, rationibus ac disputationibus quam lenissime populos edoceri, quanto in errore, ac verita

tis

tis ignoratione versentur: quamque vel peruersum vel impium sit, cultum vni debitum Deo, simulacris lapidibusque ab homine tribui. Porro, ad eas pellendas tenebras, cum alios viros adhibebis virtute & eruditione præstantes; tum vero ipse tu primarios gentis euocare, alloqui, monere non desines, atque omni ratione ad Christum allicere. Qui sese dederint; hosce, in fidem receptos, non tueberis modo, sed etiam pro suo quemque captu fouebis ornabisque. Hæc omnia scito nobis maiorem in modum esse cordi: quę singula, te pro tua industria & probitate sedulo curaturum esse cõfidimus. Almerini, viij. Idus Martias M.D.XLVI. Epistolam igitur hanc, indicem regiæ pietatis ac sapientiæ, Vasæus in Indiam pertulit plenus optima spe.

6 Quod vero admiracula attinet, dupliciter ea euenire & expectari ad infidelium conuersionem possunt, uel in bellis, vel in prædicationis probationem, vtrumque olim, & hodie in India Orientali claret, vt interim prætercam rationes, ob quas hodie frequentius in infidelium conuersione miracula non fiant, sicut olim de quo Acosta lib. 2. de procuranda Indorum Salute cap. 9. & 10.

7 Quoad prædicationis opus (alia omittamus) multis miraculis fidem inter Indos, & Iaponios, inde ab Apostolis quasi per manos traditam sartam, tectam, ac ne vestigio quidem degenerem sanctus Franciscus Xauerius, verus hæres Apostolorum, sicut hi testamento cauerant, ita dissiminauit non minori gloria, quam animo, vt refert Clarus Bonarsc. in emphyteat. honoris lib. 1. pag. 21 cuius prædicationis vberrimos colligũt fructus (annitẽtibus pręcipuè è Societate Iesu alumnis, qui in Ecclesia nouissimi veluti Bẽjamini duplici honore perfruuntur) Iapo, & Sina, cum multæ laureatorum myriades cœlestem patriam triumphantes ingrediatur, de quo legendi sunt duo libelli de persecutione Ecclesię Iaponis, a P. Petro Morejon editi.

8 Quod si à laicis etiam hæc expectanda sunt, Iacobus Canus in Æthiopia Occidentali, Maffæo libr. 1. histor. Indicar. pagin. 8. Antonius Galluanus in Malucis, Barrio decad. 4. libr. 9. cap. 21. Maffæo hist. Ind. lib. 10. à pagin. 239. Antonius Paiua in Macazaribus, Maffæo lib 12. hist. Ind. pagin. 285. Lucena in vita Xauerij libr. 3. capit. 1. referentibus, velut Apostolici nũcij Reges, & populos ad fidẽ Catholicã cõuenterũt; militares enim homines erãt, & ferro potius, quã litteris innutriti, ac nihilominus rudibus eorũ sermonibus

Reges

Reges,& populi ad ſtudium verę pietatis exarcerunt,& in Domini caulam ingreſsi ſunt.

9 Sic & in Æthiopia interiori indefeſſa Ieſuitarum ſedulitas Imperatorem Regnumque Abaſsinorum Vrbano Octauo,Romano Pontifici, vti vniuerſæ Eccleſię paſtori.& ſummo in terris Dei Vicario hodie ſubiecit; quod Reges Luſitaniæ à Ioanne II.ſummo ſtudio,& aſsidua cura, multifariàm procurarunt.Nam licet olim Abaſsini Alexandri legatus Boloniæ in celeberrimo conuẽtu, cum Carolus V. Cæſar coronatus adeſſet, Clementi VII.obedientiam ſolemni cum adoratione,& pedum oſculo detuliſſet,in eadem tamẽ ſententia Imperatores, ſeu Reges Abaſsini imprecationibus,& diris ab Alexandrino Patriarcha,cui in ſpiritualibus parebant,territi non perſtiterunt.Vicit tandem miniſtrorum conſtantia, Petrique ſucceſſori collum ſuppoſuerunt; quæ cõuerſio,& ad ouile ouis amiſſę reductio admiraculorum genus ſpectant, teſte Beda comment.3. in Marc.cap.11.

10 In bellis vero ſemper Luſitani diuinam opem ſunt experti,vt paſsim ex hiſtoricis Oſorio, Maffæo,Lucena,annalibuſque ſocietatis I E S V cõſtat,& probant Thom.Boſsius de ſignis Eccleſiæ tom.2.lib.17.cap.7.pagin. mihi 431. & Ioannes Bonifacius in hiſtor.Virginali lib.3.cap.13.§.an

te pen.& vltim. quod dupliciter euenit, vel virgine, Iacobo, Thoma, Angelisue visibiliter in prælium ingressis; vel cum parua manu innumerabiles hostium exercitus (vt infideles etiam fatētur) Lusitanis, Dei, Virginis, sanctorumve ope implorata, profligantibus; vtrumque referunt multis e-
11 xemplis citati auctores, ¶ de quo etiam ipsi Batavi sæpius à nostris repulsi testes sunt integerrimi, tametsi cum potentissimis Indiæ Orientalis principibus colligati, & socij in prælia, & obsidiones confidenter descenderint.

12 Vnde Aubertus Miræus in politica Ecclesiastica lib. 2. cap. 15. in hæc verba. *Quo melius de Christiana meruisse rep. Lusitani iure putandi sunt, quod cum terrestri itinere sine summo vitæ discrimine ea loca peti nō possent, & vix quisquam reperiretur, qui peregrinationē eiusmodi suscipere auderet, ornatissimis ipsi classibus extima legentes Africæ littora, bonæ spei promontorium ante id tempus penè incognitum, auream Chersonesum, quæ Malaca dicitur hodie, Taprobanam, quæ Sumatra, Sinas denique prætervecti ad ipsam, de qua diximus, Iaponis insulam ingenti ausu, summaque animi magnitudine penetrarunt. ijdem Indicæ oræ magna parte subacta, Sinus etiam Persici faucibus fortiter æque, ac feliciter occupatis. Arabici vero nauigatione crebris incursionibus impedita, mercibusque Indicis per Africum, atque Athlanticum Oceanum in Hispaniam auersis, non modo Memphitica Turcarum vectigalia:*

galia grauissimis damnis, atque incommodis affecerũt, sed etiam Christi liberatoris nostri cultum, ac nomen apud eos populos, vel nunquam ante id tempus auditum, vel diuturna vetustate, atque obliuione deletum, salutari prædicatione longe, lateque propagarunt, adhibitis perductisque secum summi Pontificis iussu multis Euangelij præconibus tum aliarum familiarum, tum vero præcipue Societatis Iesu, & paulo post, *Lusitanis itaque in Indiã commigrãtibus, & Imperio late propagato Christi cultus, ac reuerentia per vastissimum illum Asiæ tractum sese erigere cœpit.*

13 Gerardus Mercator in tabula Lusitaniæ. *Hinc homines,* refert, *incredibili virtute, ac felicitate profecti, omnes orbis terrarum partes obierunt: Africæ magnam partem in prouinciam redegerunt; innumerabiles insulas, quarum aut nomen tantum, aut nec nomen quidem vllum extabat, primi patefecerunt, ijdemque occuparunt: Asiam terram beatissimam sibi stipendiariam fecerunt; remotissimas nationes Iesu Christi cultum, religionemque docuerũt.*

14 Quid commemorem Æthiopiam deuictam; Arabię, & Persidos vrbes munitissimas expugnatas; Indiam durissimo bello superatam; Turcarũ potentiam in illis partibus nostrorum virtute repressam, atque conuulsam; rebellium & piratarũ vires fractas, tanta est enim rerum à nostris gestarum magnitudo tanta copia, vt neque possit quisquam, ne si mentiri quidem velit, maiora confingere, neque vera consectans, omnia breui tempo-

ris spatio persequi, quæ omnia sine Dei immorta lis ope præsentissima fieri non potuere. Neque e- nim ita nostrorum audaciam, & domesticam, na tiuamque indolem amabo, vt res tantas humana prudentia, atque viribus, & non potius diuino cõ silio, & numine gestas existimem. Neque enim cal liditate Mauri, neque apparatu bellico Turcæ, ne que numero Arabes, neque nauibus militibus, & armis Bataui longe superiores à nostris vinci po- tuerunt; sola pietate, atque sanctissima Christi re ligione, quæ in nostris semper eluxit, superati, at- que dissipati sunt, vt prosequitur Osor. de nobil. Christ. lib. 3. pag. mihi 241. vt merito Poeta libr. 10. canere posset.

Deus (nec te sententia fallat)
Lisiadas sustentat opes: non viuida bello
Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli.

15 Nec tamen ex his diuinis auxilijs virtus, forti- tudo, aut gloria Lusitanorũ minuitur, sed potius augetur, magis & illustratur; sic & Dauid bellica virtute insignis, confidenter in auxilium inuoca bat Dei opem Psalm. 34. *apprehende arma, & scutũ, & exurge in adiutorium mihi, effunde frameam,* vt elegã ter differit Lucena in vita Xauierij lib. 6. cap. 1.

16 Sed in hoc nostri iam inde à Lusitaniæ infan- tia à Deo prædilecti sunt; cum quinque Christi stigmata Diuo Alfonso huius nominis, & Lusita

norum

norum regum primo diuinitus ostẽsa,& in insig nia Regia insigni pietate in æternum suscepta fuere;qua tanta indulgentia coorti Rex, & Lusitani quinque feroces, & prępotentes Mahometanos Reges in Orichensi agro debellarunt Naua.cap. nouit not.3.num. 149. Molin. in nobilitario de Andaluzia lib.1.cap.43. Thomas Bosius de signis Ecclesiæ tom.2.lib.7.cap.7.pag. 430.

17 Quæ stigmatum insignia non inter Aquilæ rostra, Leonis ve vngulas, cum Agni teneritudinem præseferant;non inter liliorum flores, cum clauis fuerint aperta (vt alij in Lusitanorum Regum inuidiam,cur magis illis,quam alijs indulta fuerint obloquebantur,)sed in locum crucis, qua antea Lusitanię Principes in ipsius propugnãdæ, & promulgandæ testimonium,& protestationẽ vsi fuerant, collocanda erãt ; non sine præsagij mysterio,vt eadem insignia in easdem orbis plagas,quæ Thomę Christi latus,& vulnera perscrutanti,vt certiorem eorum veritatem,fidem,&notitiam gentibus reuelaret,commissę fuerant, & peragratę,à nostris cruciferis deducerẽtur; quod & postea confirmauit purpureę crucis signum prçfulgens Alfonso Albuquercio in Erithræi maris ingressu apparens ex Maffęo libr.5.histor. Ind.pag.mihi 122.& nostris annalibus.

18 Comprobauit & idem speciosa illa crux san-

guineis,& in speciem recentibus cõspersa guttis, quadrato lapide insculpta,ad cuius amplexus, & oscula Diuus Thomas à barbaris mactatus fertur vt notę circulũ ambientes à peritissimis linguarum Brachmanis explicatæ declarant, Lusitanis ad Sacelli ædificationem fundamentum aperientibus inuenta anno 1548.nam dum in illius cultum octo diebus ante Christi Domini Tribus ante Apostoli natalem,cum ab Ecclesia expectatio virginei partus celebratur,Christiani in eam ædiculam rei diuinæ causa conuenerant,simul atque ab diacono cœptum Euangelium est, vniuerso inspectãte populo cruz modicis primo stillis, largo deinde sudore manauit,admota tersui linteola sacra cruentas ebibere maculas,color etiam crucis è candido sensim in pallidum, epallido in atrum,ex atro in cæruleum splendore cessit, ac tãdem,sacrificio peracto natiuus redijt, id quod in eadem anniuersarij die,& in Euangelij inchoatione,eijsdem circunstantijs non semel contigisse testantur,ex alijs Maffæus lib. 12.ad fin.histor. Indic.Lucena lib.3.cap. 5. in vita Xaueri, qui nõ insubtiliter colorum mutationes exponit, quæ quidem miracula,& Euangelio astruxere fidem, & Lusitanis ad omne periculum,& dimicationẽ pro crucis trophæo subeundã animos addidere.

18 Tot ergo Regum(vt ad Lusitaniæ infantiam re

curra-

curramus)ac hostium tractu temporis in Lusitania,& Africa deuictorum opima spolia maiores alias prouincias,quam Lusitaniam ditare valuere vt vno beneficio,& de fidei hostibus triumphus, regni amplitudo,gloria victoris, ac diuitiarum cumulus(tanta Dei est clementia)simul obuenirent,vt hoc vno argumento constet Lusitaniam multis saltem hostium spolijs diuitem ante Indię nauigationem fuisse contra Incogniti assertionē.

20 Si adhuc in India cœleste miraculum, & recens petat Incognitus, anno 1619. Februario mense in monte boni visus iuxta Goam, in cruce è ligno fabre facta,& fixa Christus Dominus multis videntibus,multisque miraculis subsequentibus, attestante toto Oriente apparuit,prout prosequitur domnus Franciscus de Herrera Maldonadus Canonicus de Arbas in epitome Sinæ cap.18.& 19.quo Crucis triumpho,&in eiusdem anniuersario claudo caput,& librum.

Nā mea iam longo meruit ratis æquore portū

VALLISOLETI:

Ex officina Hieronymi Morillo. Almæ Vniuersitatis Typographi.

Anno M. DC. XXV.

INDEX

INDEX
EORVM QVAE
IN HOC VOLVMINE
CONTINENTVR.

¶ *Accola*

Arma

Diuus

Fides

G

H

Ignis

Ius-

M

¶¶¶ apud

Præs-

Prin-

Impe-

Regis

¶¶¶¶ tus

Sen-

¶¶¶¶ 2 *differt*

Vn-

¶¶¶¶ 4 culis

FINIS.